ſate dicemus lib. 9. diſp. 17. a n. 20. uſque in finem, ubi dicemus quando liceat copula, & quando tactus?

6 Secundum impotentiæ genus eſt, quando eſt impotentia ſola veri ſeminis effundendi. Ut ſi matr. inito vir utroque teſticulo orbetur, ita ut coire nequeat, tunc enim non eſt capax veri ſeminis emittendi, (ut probavi diſp. 92. n. 17.) Et videtur tunc non licere copulam. Quod ſemina verum ſemen emittat, idque debito generationis fine fruſtretur, deficiente virili ſemine. Et confirm. quia quando vir nullo modo poteſt intra vas ſeminare, ſed extra, illicitus eſt coitus; eo quod virile ſemen extra vas effuſum fraudetur contra naturam debito generationis fine. Cum ergo idem contingat in noſtro caſu in ſemine ſemineo, erit eadem ratione illicita ea copula. Quippe utrumque ſemen ad generationem natura ordinavit. Et ideo hujus ſententiæ videntur *Ant. c. 2. n. 6. de frigid. & maleſ. verſ. Nunquid autem*, & *ibi Præpoſ. n. 5. & Alex. de Nevo in fine*, ubi ajunt, quando poſt matrimonium vir caſtratur, illud non diſſolvi, ſed teneri uxorem quoad alia obſequia. Sed forte hi Doctores loquuntur, quando penitus virilia abſciſſa ſunt. Et tenet *Petr. de Ledeſ. de matr. q. 68. a. 1. dub 5. quod movet circa ſolut. ad 4. dubii principalis, in ſolut. ad ult.*

7 Verum exiſtimo culpa vacare, ſive petat ſive reddat. Quod vir ille jure ſuo utatur vacans actui conjugali, quem matr. permittit. Semen autem verum non emitti contingit per accidens. Sicut ſi aperte conſtaret viro præ morbo ſemen eſſe corruptum, vel ſterile, vel copula ſit prope tempus partus, in quo non eſt poſſibilis generatio. Adde ſenibus decrepitis jam ad generandum impotentibus a nullo negari uſum conjugii, ſi coire valeant: ſolvaturque, quia obtinetur finis matr. ſecundarius, nempe ardorem concupiſcentiæ ſedare. Non ergo obſtat defectus veri ſeminis ad generandum apti, ut ob id neganda ſit copula vero matr. conjunctis. Neque eſt ſimile de copula extra vas. Quod ea non ſit conjugalis, nec jure matr. innitatur: qualis eſt habita intra vas. Et ita tenet *Toledo lib. 7. ſum. c. 12. n. 4.* loquens de facto eunucho poſt matr. Idem tenet loquens de ſenibus, qui valide contraxere in ſenectute, nec jam poſſunt ſemen emittere, *Gaeta c. Ad limina 30. q. 1. §. 4. q. 234. n. 539.* Unde tunc uterque poterit petere, & alter reddere tenebitur. Quia petit alter jus ſuum, quo orbatus non eſt.

8 Tertium impotentiæ genus eſt, quando femina experientia didicit ſe nequire prolem vivam edere, (ut his diebus de hoc conſultus ſum. Cuidam enim feminæ nuptæ os laterale, vulgo *cadera*, ita confractum eſt, ut fœtum mortuum ſemper pareret, nec ſpes erat fore ut poſſet vivum.) Et videtur tunc nec petere nec reddere licere, quod concipiendi periculo exponatur, idque ſit in detrimentum vitæ corporalis, & ſpiritualis prolis. At conſultis viris peritiſſimis viſum eſt, licere his conjugatis petere, & reddere. Quod idem mihi placet. Ducor, quod præter intentionem, & per accidens mors illa fœtus accidat conjugibus ſuo jure utentibus: nec tenentur id prolis damnum vitare, cum tanto detrimento, ac eſt conjugatos perpetuo ab uſu conjugii abſtinere cum maximo incontinentiæ utriuſque periculo. Deinde, quoniam melius eſt puero ſic eſſe cum originali culpa, & carentia viſionis Dei, quam omnino non eſſe. Ut notat *D. Thom. 1. 2. q. 83. a. 1. ad 5.* & colligitur ex *D. Aug. lib. 5. contra Julian. c. 8.* Et ratio eſt, quia originalis culpa eſt peccatum habituale: at eligibilius eſt, exiſtere in rerum natura cum peccato habituali, quam omnino non exiſtere: etenim licet, ſi homini detur optio, potius debeat eligere mortem, & annihilationem, quam peccatum actuale etiam leviſſimum: ſi tamen jam commiſſum ſit, & relevaret Deus ſe nolle id remittere, quamdiu homo exiſteret, adhuc melius faceret eligendo exiſtentiam, quam annihilationem. Quia ſuppoſita Dei voluntate, ille homo nec teneretur nec poſſet evitare id peccatum habituale: atque ita modo nil Deo exoſum facit, id autem quod ſemel fecit, non tenetur jam delere, quia non poteſt at ob id quod jam non eſt in ejus poteſtate, non deberet ſe privare maximo bono naturali, quod eſt eſſe. At femina hæc non teneretur reddere, quia non modicum ex morte fœtus in utero hac difficultate partus ſibi periculum imminet. In quo eventu dicemus nu. ſeq. eam non teneri reddere; id enim detrimentum ab ea obligatione ipſam eximit: quamvis poſſit jure ſuo cedens reddere & petere: ac vir teneatur illi petenti reddere. Cum non habeat juſtam denegandi cauſam. Quamvis probabile ſit non teneri, ut dicemus num. 11.

9 Ultimum impotentiæ genus eſt, quando femina nequit parere abſque propriæ vitæ periculo gravi: in quo eventu manifeſtum eſt juxta dicta num. præcedenti in fine, mulierem non teneri reddere. Atque ita docent *Ledeſ. 2. p. 4. q. 60. art. 1. col. 5. verſ. Sed circa hæc eſt dubium*, *Bart. a Ledeſm. de matr. dub. 48. concl. 2. Petr. de Ledeſ. de matr. q. 58. a. 1. ad fin. Manuel 1. tom. ſumm. 2. edit. c. 235. num. 6.*

10 Sed dubium eſt, an petere, & reddere liceat? *Petr. de Ledeſ. & Manuel num. præced. alleg.* id negant, dicentes eſſe mortale reddere. Quod dominium propriæ vitæ non habeat, ut illi integrum ſit tanto eam periculo exponere.

11 At mihi probabilius eſt utrumque licere. Magnum enim eſſet detrimentum, ſi ſemper conjugata illa deberet ſe a coitu abſtinere, cum non immodico propriæ continentiæ, & alterius conjugis diſcrimine. Quare ut id detrimentum vitet, poteſt jure optimo vitam periculo exponere: eo vel maxime, quod nec id periculum ex partu certum ſit; nec futura etiam conceptio, ex qua periculum id imminet, certa ſit. Deinde, quia cum morbus eſt diuturnus, poteſt conjux proprio periculo cedere; ad vitandum maximum incontinentiæ periculum, quod ex uſus conjugalis perpetua privatione utrique conjugi imminet. Ut probavi in ſimili, nimirum, quando conjux lepra infectus eſt, lib. 9. diſp. 24. num. 33. & ut in ſimili ibi dicemus, tenetur vir huic uxori petenti reddere. Quamvis probabile ſit eum non teneri reddere. Cum ſententia nu. præced. relata, dicens nec licere, petere nec reddere, ſit probabilis.

12 Tandem, quando mulier certa eſt de viri impotentia, eo quod triennium cohabitationis jure præſcriptum ad experiendum tranſierit: nec illam probare poteſt, vir enim negat: nec poteſt conſtare per inſpectionem, quod ipſa virgo non ſit, & vir integra membra habeat, neuter poteſt petere nec reddere. Quod conſtet id matrimonium eſſe irritum. Atque ita aperte docent *D. Thom. 4. d. 34. in fin. in expoſit. lit. verſ. Sed ſi vir*, & *ibi Albert. Magnus art. 7. ad ult.* ubi dicunt eam feminam debere ſibi conſulere jacendo ſeorſum, ne viro impotenti periculum incontinentiæ immineat.

DISPUTATIO CIII.

Quando dubitatur; an impotentia præceſſerit, an ſubſecuta ſit matrim. vel præmiſſo examine, an ſit vera impotentia, & an perpetua, vel temporalis: an præſumatur eam ſubſecutam, vel non eſſe veram, nec perpetuam, ut vel ſic matrim. valeat?

SUMMARIUM.

Refertur triplex ſententia, nu. 1. 2. & 3.

Quando impotentia eſt naturalis, præſumitur in dubio eam præceſſiſſe, 4.

Quando eſt accidentalis, ut maleficio, vel abſciſſione præſumitur in dubio eam ſubſecutam, nec ſolvitur conjugium, n. 5.

Quid, ſi brevi tempore poſt matrimon. comperta eſt impotentia, 6.

Quid, ſi dubitetur an impotentia ſit naturalis an accidentalis, 7.

Quid, quando non eſt dubium circa impotentiæ anteceſſionem, ſed circa ejus veritatem, ac perpetuitatem, vel matr. conſummationem, 8.

Quid, quando vir poſt matr. reperitur potens ad corruptam, ſed dubitatur, an ad virginem a ſe ductam potens ſit: & quid, quando dubitatur an femina ratione arctitudinis ſeparata, cognitaque ab alio ſit quoque a primo viro cognoſcibilis, ac ſit id matrimonium validum & quid, quando dubitatur, an femina illa poſſit abſque vitæ periculo reddi per inciſionem apta viro, cui nupſit, 9.

An ſtante dubio impotentiæ, viri, aut arctitudinis feminæ, liceat matr. inire: & eo inito uti, 10.

Satisfit argumentis, 11.

1 VAriæ ſunt in hac diſp. ſententiæ. I. ſuſtinet in dubio an impotentia præceſſerit matr. & proinde illud ſit irritum, præſumi eam præceſſiſſe, ac matr. eſſe diſſolvendum tanquam irritum. Ducuntur partis hujus patroni, per *cap. fin. de frigid. & maleſ.* ubi nec allegatio nec probatio facta eſt ſuper prioritate temporis, ſed probato maleficio, ac præſumpto perpetuo per triennii experientiam, ſeparatum eſt matrim. Quaſi jus ſtatim præſumat maleficium præceſſiſſe. Nam alias id probandum erat, ut matr. ratione illius diſſolveretur. Secundo, quia textus *c. Licet ex quadam, in fine, de teſtib. & atteſt.* ex quo DD. communiter colligunt, in dubio favendum eſſe valori matrim. procedit quando matr. poteſt ſuum conſequi finem, nimirum, bonum prolis, aut fornicationis vitationem. Quod minime contingit, ubi conjux eſt impotens, ſed utroque fine fruſtratur. Potius ergo tunc adverſus matrim. valorem præſumendum eſt in dubio impotentiam præceſſiſſe. Tertio, quia judicando impotentiam præceſſiſſe, favetur proli, & continentiæ. Sic enim conjux potens non manebit eo matrim. ligatus, ac integrum illi erit ad alias nuptias tranſire, quo prolem ſuſcipiat, atque incontinentiæ periculum vitet. Et confirmatur quia præſumptio in alicujus favorem inducta locum non habet, quoties in ejus damnum redundaret. Sicut in dubio quiſpiam præſumitur bonus: at ſi ex præſumptione bonitatis actus redundaret damnum illum agenti: ceſſat præſumptio. Ne quod favore alicujus inductum eſt, in ejus odium retorqueatur. Contra *reg. quod ob gratiam, de regulis juris in 6.* ut cum Bartolo, Felino, & aliis per ipſum relatis tradit *Navar. comm. 4. de reg. n. 72. verſ. non obſtat*. Cum ergo favor hic matrim. ut in dubio pro ejus valore præſumatur, inductus ſit favore prolis, ceſſare debet quoties in prolis damnum is matrim. valor cedit: ut contingit quoties de anteceſſione impotentiæ dubitatur. Tandem, quia quandoque ex præſenti deſumitur præſumptio circa præteritum: ut teſtatur *gl. fin c. Scribam, de præſumpt.* Ergo ex impotentia in præſenti reperta poteſt jure optimo deduci præſumptio, extitiſſe eam tempore præterito ante matrim. initum. Et ita loquentes de omni impotentia, atque etiam accidentali maleficii, ſuſtinent hanc ſent. ex Juriſperitis, *Hoſt. ſum. tit. de frigid. & maleſ. §. Qua impotentia, num. 7. verſ. Quid ſi dubitetur, & c. Fraternitatis, n. 4. v. Præter divinum, eod. tit. Et ibi Jo. Andr. nu. 25. Abbas n. 16. Anch. n. 16. verſ. Quærit ſi eſt dubium, Præpoſ. n. 13. Henric. n. 7. 8. & 9. Alex. de Nevo ibi §. Quamvis, n. 7. 8. & 9. Idem Abbas cap. fin. n. 3. eod. tit. & ibi Ant. n. 8. Præpoſ. nu. 3. paulo poſt princ. & n. 6. Aſtenſis 2. par. ſumm l. 8. t. 29. art. un. q. 2. Brunel. de ſponſ. concl. 28. limit. 5. nu. 21. Roſella v. Divortium, num. 4. Angel. v. Matrim. 3. imped. 16. nu. ultim. Sylv. v. Matrimonium 8. q. 16. dict. 9. Deciſio capellæ Toloſ. 281. nu. 5. Montalvus lib. 4. fin. & lib. 7. ad fin. t. 8. p. 4. Greg. Lop. lib. 5. v. De talembargo, t. 8. p. 4. Maſcard. de probat. concl. 816. nu. 19. & concl. 1027. n. 3. Gaeta c. Ad limina 30 q. 1. §. 4. q. 237. n. 542. Matienzo lib. 5. recop. tom. 1. rubr. gl. 1. n. 204.* Et ex Theologis, *Ricard. 4. d. 34. art. 3. qu. 1. ad 2. Abulenſ. cap. 19. Matt. quæſt. 90. in fin. corp. Petr. de Soto lect. 5. de matrim. pag. 2. v. His autem proximum, in fin. Veracr. 1. part. Speculi, art. 40. concl. 3. Enriq. lib. 12. de matrim. cap. 8. num. 5. Emm. Sa, in ſumm v. Matrim.* ubi de impedimentis dirimentibus, *in impedimento impotentiæ, in fine*. Et idem explicant *Alex. de Nevo, Henr. & Enriq. ibid.* quando ex morbo aut inciſione amiſit vir virilia, aut utrumque teſticulum, atque dubium eſt an ea impotentia præceſſerit matrim. in eo enim dubio ajunt præſumi impotentiam fuiſſe ante matrim. & ita hoc eſſe irritum ratione illius. Temperat autem hanc ſent. *Alex. de Nevo cap. Fraternitatis, §. Quamvis, n. 9.* niſi vir aſſerat ſe uxorem cognoviſſe, nec ipſa per aſpectum ſe virginem probare poſſit; tunc enim ait potius credi viro, atque præſumi maleficium poſt matr. accidiſſe.

2 II. Sent. ſuſtinet in dubio non præſumi impotentiam fuiſſe ante conjugium, quando alter conjux petit ſeparari matr. ratione impotentiæ. Cum enim ſit actor, atque intentionem ſuam fundet in impotentia præcedenti matr. ut id diſſolvatur, non præſumitur eam præceſſiſſe, ſed ipſi onus probandi incumbit. Secus ſi uterque conjux diſſolutioni aſſenſum præſtaret, vel ſi alter petat aliquam in uxorem: tunc enim præſumitur impotentiam præceſſiſſe. Sic *Ant. c. Fraternitatis, n. 10. de frigid.*

3 III. Sent. ait, impotentiam accidentalem, qualis eſt maleficii, aut ſi virilia abſciſſa ſint, non præſumi præceſſiſſe, atque ita in hoc dubio validum eſſe matr. Ita ſuſtinent *gl. 33. q. 3. in ſum. v. Quod autem, in fine, Goffr. in ſum tit. de frigid. & maleſ. n. 8. fin. Card. Florent.* quem refert *Alex. de Nevo, cap. Laudabilem, in fin. de frig. & maleſ. Anchar. c. 1. fin. & c. Ex litteris, in fine, eod. tit. Monald. ſum. tract. de matr. tit. de impotentia accidentali. ſtatim in princ. Rom. rubr. ff. ſolut. matr. nu. 12. verſ. Limita iſtud, Supplem. Gabr. 4. d. 34. q. un. a. 2. poſt corol. 1. quod infert ex 1. concl. verſ. Quid juris.*

4 Prima tamen concluſio ſit. Quando impotentia eſt naturalis, in dubio præſumitur eam præceſſiſſe, & ſic matr. eſſe nullum. Ducor, quod naturalia ſint perpetua: & qualitatem quæ a natura eſt, ſemper ineſſe præſumatur. Ut probat *Menoch. præſumpt. lib. 1. de præſumpt. 14. n. 3.* Poteſt etiam probari rationibus, & auctoritate Doctorum primæ ſent. num. 1. relatæ. Nec credo DD. tertiæ ſentent. relatæ nu. præced. huic contradicere: quia loquuntur de impotentia accidentali, dum dicunt præſumi eam ſecutam poſt matrimonium. Et ita *Anchar. & Cardin. Florentius*, auctores illius fatentur hanc concluſionem.

5 II. Concluſio. Quando eſt impotentia accidentalis, ut ex maleficio, abſciſſione, aut ex quolibet alio morbo conſurgens, & ſufficienti diligentia præmiſſa conſtare nequit an ea matr. præceſſerit, an potius ſecuta ſit, quamvis valde probabile ſit, præſumi eam præceſſiſſe, ac proinde irritum eſſe matr. eo quod multorum Doctorum auctoritate, & optimis rationibus fulciatur, ut conſtat ex allegatis num. 1. at mihi multo probabilius eſt, quod docent Auctores tertiæ ſentent. quos num. 3. retuli, nempe præſumi impotentiam illam ſubſecutam eſſe matrimonium, ac proinde id fuiſſe validum. Ducor, quod eſto id matr. omni favore peculiari deſtitutum ſit; præſumptio juris eſt pro ea parte, ut impotentia illa non præceſſerit matrimonium, ſed ſecuta ſit. Cum enim natura ipſa hominem illum potentem produxerit, aſſerenti eum aliquando impotentem fuiſſe, incumbit onus probandi, utpote cui adverſatur præſumptio a natura ipſa deſcendens, (ut in ſimili Probavi lib. 1. diſp. 8. nu. 17.) Cum ergo hanc impotentiam accidentalem non probetur fuiſſe ante matrimonium, non præſumetur eo antecedenti tempore fuiſſe, ſed præſumptio militabit pro qualitate naturali, quæ eſt potentia coeundi. Quare non eſt opus confugere ad matrimonii favorem, ut præſumendum ſit eam impotentiam ſubſecutam: id enim neceſſarium foret, ubi ipſa juris præſumptio non convinceret impotentiam ſubſecutam eſſe. Cum autem id convincat præſumptio, quæ a natura ipſa proficiſcitur, in hoc eventu, ceſſante omni matr. favore, præſumendum eſt impotentiam ſubſecutam, & ideo illud validum eſſe. Secundo, quod *cap. Licet ex quadam, de teſtib. & atteſt. in fine*, unde DD. deducunt in dubio pro matr. valore præſumi, non innitatur peculiari matr. favore, ſed ratione ipſa ex principiis naturalibus deducta. Ut conſtat ex ratione in eo textu ſubjuncta, ibi: *Tolerabilius eſt enim aliquos contra ſtatuta hominum dimittere copulatos, quam conjunctos legitime contra ſtatuta domini ſeparare.* At in hoc eventu eadem ratio militat: nam in dubio, nec habita ſufficientis impotentiæ probatione, quæ matr. antecederet, dirimeretur illud contra legem divinam, ex dubiis hominum teſtimoniis. Sed dices, hunc textum minime favere, quod loquatur quando impedimentum eſt ex ſolo jure humano, ut conſtat ex illis verbis: *Contra ſtatuta hominum dimittere copulatos.* At impedimentum impotentiæ dirimit jure naturali ac divino. Sed dic dum textus ait, contra ſtatuta hominum, non eſſe ſenſum, id eſt, contra ſtatuta Pontificum: ſed ſenſus eſt, id eſt, contra hominum teſtimonia firmitate neceſſaria deſtituta ad concludendum matr. jam contractum eſſe irritum, ac proinde non certam, ſed dubiam fidem faciunt. Et conſtat hæc expoſitio, tum quia etiamſi impedimentum ſit jure humano dirimens, manerent utique conjuges illi contra ſtatutum juris divini ac naturalis copulati: quippe eſſet illorum concubitus fornicarius: tum etiam, quia id conſtat ex antecedentibus in eo textu, quæ omnia verſabantur circa teſtimoniorum proferendorum circumſtantias, ut fidem facerent ad matr. diſſolvendum. Et ita concluſit Pontifex, quando hæc teſtimonia non in iis circumſtantiis veſtita ſunt, ut fidem certam faciant, tolerabilius eſſe contra ea teſtimonia dimittere aliquos copulatos, quam contra ſtatuta Dei ſeparare legitime conjunctos.

6 Limitarem tamen hanc concluſionem, niſi breve tempus a matrim. contracto uſque ad ejus conſummationis intentionem tranſiiſſet, ut communiter accidit. Tunc enim non præſumitur tam brevi tempore impotentiam illam accidiſſe, ſed potius præſumendum eſt, eam priorem matrimonio fuiſſe. Et in hoc caſu aſſentio primæ ſent. nu. 1. relatæ.

7 Quod ſi facta ſufficienti indagine dubitetur, an impotentia ſit naturalis, an potius accidentalis: exiſtimo in hoc dubio accidentalem præſumi, & ita poſteriorem matrim. inito. Quoniam cum potentia ad copulam, ſit homini connaturalis, ubi de impotentia naturali minime conſtat, non utique ea præſumitur, ſed ſi aliqua ſit impotentia, cenſetur ac præſumitur eam ex accidenti aliquo profectam eſſe.

8 III. Concluſio. Quando non verſatur dubium circa anteceſſionem impotentiæ, ſed dubitatur, an vera impotentia ſit, & matr. conſummatum ſit, necne: & adhibita ſufficienti diligentia id dubium vinci nequit: cenſeo in hoc dubio præſumi pro matr. valore, nec illud ſemel initum poſſe diſſolvi. Ducor, quia cum quilibet naturaliter præſumatur potens, aſſerenti veram impotentiam, ubi ea dubia eſt, incumbit onus eam probandi: & dum ea non fuerit certo probata, præſumitur pro naturali potentia, ac ſubinde pro matr. valore. Deinde, quod in hoc dubio poſſeſſio ſtet pro matr. Cum id contractum eſſe conſtet, & ſolum dubitetur de ejus impedimento, quod nunquam præſumitur. Præterea probatur ex doctrina *Innoc. c. 1. de frigid. & maleſ. n. 3 fin.* ubi ait viro aſſerenti propriam potentiam, ne diſſolvatur matr. fidem habendam eſſe contra feminam eam negantem. Et eam ſubdit rationem, quod quilibet præſumatur potens, & quia ſtat pro matrimonio quod favorabile eſt. Ad idem conferunt DD. aſſerentes, etiam feminæ fatenti viri potentiam, & ab eo ſe cognitam, ne dirimatur matr. potius credendum eſſe, quam viro neganti: eamque reddunt rationem: quia ſtat pro matr. quod favorabile, eſt, (quos referam diſp. 109. n. 9.) Cenſent ergo hi, in hoc dubio favorem matr. præponderare, ut valeat. Ad idem etiam conferunt *Innoc. 1. a fin. de frig. & maleſ. Corſetus in ſuis ſingularib. v. Teſtis, ſingulari incipienti, Duo teſtes deponunt, Petr. Greg. in ſyntagm. juris, l. 9. c. 12. n. 11. Fulvius Patianus de probationibus, l. 1. c. 50. n. 62.* ubi ajunt pari numero teſtium negantium virum frigidum eſſe, potius credendum eſſe, quam affirmantium eodem numero. Et reddunt rationem, quod illi veriſimiliora, & aptiora naturæ deponant, juxta quam nemo frigidus præſumitur. Ergo in dubio potius præſumitur potentia, quæ viro eſt connaturalis. Item, quia *c. Fraternitatis, verſ. Quamvis igitur, de frigid. & maleſ.* deciditur feminam ratione arctitudinis preſumptę ſeparatam a viro, poſteaque ab alio ſimili cognitam, reſtituendam eſſe Priori viro, ut experiatur an eam ſimiliter cognoſcere poſſit. Cum tamen non conſtet, ſed ſolum preſumatur ejus potentia. Ergo in dubio veritatis impotentię non eſt ſeparandum matr. Et confirm. quia *eodem c. in fin.* quando poſt initum matrimonium dubitatur de impotentia, concludit Pontifex non facile judicandum: cum finale judicium pendeat ex futuro eventu. At ſi in dubio eſſet diſſolvendum matr. eſſet facile judicare, & ſine ſufficienti certitudine. Tandem, quia *cap. fin. de frigid. & maleſ.* poſt octo annorum experientiam, quibus conjuges commiſceri non potuere, conſulit Pontifex, ut iterum vacent carnali copulę. Ergo renuit ſeparare matrimonia dubia: alias tam longa experientia contentus eſſet. Et hanc ſent. in propriis terminis ſuſtinent *Sotus 4. d. 34. q. un. a. 2. col. 4. verſ. Rogas autem*, & *Lud. Lop. 2. p. inſtr.* ubi de matr. *cap. 52. col. 3. paulo ante verſ. Tertio dicitur*, ubi ajunt quando elapſo triennio non poteſt conſtare, an matrim. ſit conſummatum, & ſic an ſit impotentia, re dubia proferendam eſſe ſententiam in matr. favorem, ne dirimatur: alioquin (inquiunt) fraudibus & dolis ſterneretur via. Nec cenſeo hoc eſſe adverſus DD. primę ſent. n. 1. relatę. Quia illi loquuntur in caſu in quo de impotentia conſtat, & ſolum dubitatur, an ea matr. precesſerit: & cenſent præſumi eam precesſiſſe, ut dirimatur matr. Quod illud, quando conſtat de impotentia, omni favore deſtitutum ſit. At in caſu noſtrę concluſionis non conſtat de impotentia, ſed ea dubia eſt, & preſumptio ſtat pro potentia (ut nuper probavi) unde non eſt cur matrimonium id favore privari

debeat, ut in dubio pro illo judicetur. Dixi autem in concluſione quando dubitatur an ratione veræ impotentię matr. ſit conſummatum. Quia ſi conſtat id non eſſe conſummatum, ac dubitatur de impotentia, præſcripſit jus *cap. Laudabilem, de frigid. & malef.* triennium ad experiendum, in quo ſi conſtat eos non potuiſſe conſummare, cenſetur impotentia perpetua, ac dirimitur matrimonium. Quare concluſio procedit, (ut bene ajunt *Sotus, & Ludov Lopez proxime allegati*) quando eo triennio dubitatur, an matrimonium conſummatum ſit, ac proinde de veritate impotentiæ. Ut quia alter conjux conſummationem affirmat altero neganti, nec per aſpectum poteſt veritas deprehendi.

9 Quid autem cenſendum ſit, quando vir poſt matrimonium invenitur potens ad corruptam, ſed dubitatur an ad virginem, quam duxit, potens ſit, diximus diſp. 93. n. 28. & quid quando dubitatur, an femina ratione arctitudinis ſeparata, cognitaque eſt ab alio, ſit quoque cognoſcibilis a primo, & ita primum matrimonium ſit validum: diximus ibi n. 14. & quid, quando dubitatur, an femina illa poſſit abſque vitæ periculo per inciſionem reddi apta viro cui nupſit, an valeat matr. diximus ibi nu. 15.

10 Tandem dubitabis, an ei, cui non plene cognita eſt propria impotentia, culpæ tribuendum ſit, ſi ad matr. tranſeat? *Palacios 4. diſt. 34. diſp. 1. col. 14. paulo ante tertiam concluſionem*, ait hunc non delinquere matr. ineundo, ac poſtea eo utendo. Quod triennale ſpatium concedat Eccleſia, *c. Laudabilem, de frigid. & malef.* ad experiendam potentiam: at dum eſt dubius de impotentia, (inquit) non poterit petere, ſed tantum reddere: juxta *c. Dominus, de ſec. nupt.* At tenendum eſt, non licere huic matrimonio copulari, donec re diligenter inveſtigata dubium deponat. Quoniam exponitur irritandi matrim. periculo: nec Eccleſia triennium experientiæ concedens permittit in eo dubio impotentiæ matr. contrahi: ſed quando ſemel legitime initum eſt, ac ſuboritur id dubium, concedit illud ſpatium ad indagandam veritatem, & ut conſtet, an matr. diſſolvendum ſit. Et *c. Dominus, de ſec. nupt.* interdicitur tranſitus ad aliud matr. quando non conſtat, ſed adhuc dubium eſt, an prior conjux objerit. Non placet etiam, quod ait *Palacios ibid.* nempe, matr. ineunti cum eo impotentiæ dubio non licere ſed petere, tantum reddere. Sed exiſtimo utrumque licere: & hoc quamvis uterque mala fide illud inierit: non ratione poſſeſſionis, quæ mala fide incipienti minime ſuffragatur, ſed quia ejus matr. valor eſt neceſſario diſcutiendus; ac quando de impotentia non conſtat, nullo alio modo diſcuti poteſt, niſi habita copula. Si ergo hæc interdiceretur, ſuſpenſa eſſet Eccleſia, nec poſſet judicare, an id matrimonium confirmandum eſſet an potius diſſolvendum. Quare caſus hic excipitur a deciſione *c. Dominus, de ſecund. nuptiis*, ut probavi lib. 2. diſp. 41. n. 53. ad primum argumentum ſecundæ ſententiæ.

11 Ad arg. n. 1. propoſita reſpondetur. Ad primum dic, eum textum nil probare, quia non petitum eſt a Pontifice, an præſumatur maleficium præceſſiſſe, nec de hoc quæſtio inſtituta eſt, ut id allegaretur, aut probaretur. Sed tantum quæſitum eſt, quando præſumatur maleficium perpetuum, ut ſic matrimonium ſubſequens dirimat: & reſpondet Pontifex, quando triennio cohabitationis tranſacto non ceſſat. Nec aliqua mentio eſt facta de maleficii anteceſſione, ſed ea ſupponitur: quia circa illam non verſabatur dubium. Ad ſecundum, & tertium, & confirmationem, patet ex dictis n. 5. ubi probavimus, non opus eſſe confugere in hoc caſu ad aliquem matr. favorem. Ad ultimum fateor id aliquando contingere. At in hoc caſu non poteſt habere locum eo quod obſtet præſumptio naturalis, quæ eſt contrarium, ut nu. 5. probavi.

DISPUTATIO CIV.

An impotentia temporalis ex defectu ætatis ad matr. requiſitæ conſurgens, id dirimat, & quo jure: & quota ſit hæc ætas?

SUMMARIUM.

Quota ætas deſideretur ad matr. & an debeat eſſe completa, num. 1.
An ſatis ſiat, ultimum diem anni, quo expletur ætas, eſſe cœptum, 2.
An ſufficiat, licet tres dies ad ætatem requiſitam deſint, 3.
An in dubio præſumatur potentia ante pubertatem completam: & cui uſui deſerviat, affirmare deſiderari ætatem omnino compleri, 4.
An malitia ſuppleat ætatem, 5.
An ſit peccatum contrahere matrimonium ante debitam ætatem, 6.
Quot quæſtiones diſputandæ ſint, 7.
Quo jure defectus ætatis dirimat matrimonium? Refertur quædam ſententia, 8.
Proponitur ſententia Auctoris, 9.
An infidelium matr. quacumque ætate initum valeat, 10.
An poſſit Pontifex in ætatis defectu diſpenſare? 11.
An id quoque poſſit Epiſcopus, 12.
Solvuntur argumenta, 13.
Poſt num. 13. invenies alia ſummaria.

PRius quam ad quæſtiones diſputandas deſcendamus, præmittenda ſunt aliqua certiora apud omnes. Primo conſtat ætatem requiſitam ad matr. valide ineundum, eſſe pubertatem, nempe, annum XII. in femina, ut conſtat ex *c. Continebatur, de deſponſat. impub.* in viro autem annum decimum quartum, *c. Atteſtationes, & c. Ex litteris, eod. tit.* Quæ ætas ita a canonibus definitur, quod tunc præſumantur habiles ad copulam, & ad conſenſum conjugalem, Ut conſtat ex *c. Puberes, de deſpenſat. impub.* ubi hoc notat *gl. finalis* ab omnibus recepta. Et quia in hac ætate advenit pubertas. Cur autem citius pubeſcant feminæ, ſatis erudite tractant *Tiraq. 16. connub. n. 38. & Gutier. auth. Sacramenta puberum, n. 1. & 2. C. ſi adverſus venditionem.* Cur autem eadem ætas in utroque ſexu ad valorem ſponſalium deſideretur, diſpar vero ad matr. diximus lib. 1. diſp. 16. n. 2. Hæc vero ętas tam in viro quam in femina debet eſſe completa. Sic clare colligitur ex *c. Continebatur, de deſponſat. impub.* ubi ob valorem matr. puellæ non duodennis, ponderatur eam proximam 12. annis fuiſſe, ac a viro cognitam. At ſi non peteretur duodecimus annus completus, non eſſet opus ponderare utrumque, idem conſtat ex *c. Atteſtationes, eod. tit.* ibi: *Antequam ad annum XIV. perveniſſet, & c. Ex litteris, eod. tit.* ibi, *Donec compleat puer annum 14. Et cap. ſi. eod. tit.* proponitur caſus de puella, quæ circa XII. annum nupſit, & tamen deciditur conjugium non valuiſſe, niſi malitia ſuppleat ætatem, ubi *gloſſ. v. Circiter*, ait ad modicum tempus referri eam dictionem, Sentit ergo textus non valere matr. feminæ, cui modicum tempus ad XII. annum completum deficit, niſi malitia ætatem ſuppleat. Et ita fatentur univerſi DD. in textibus allegatis. 1

Satis tamen eſt, ſi ultima dies anni duodecimi in femina, & decimiquarti in viro ſit incepta. Quod ita favore teſtamenti decernatur *l. Qua ætate, ff. de teſtam.* At matrim. favor non minor eſt. Et ita docent *Jo. Andr. c. ſi. n. 3. de ſponſ. impub. & ibi Ant. nu. 6. Abbas num. 6. Card. num. 2. Idem Abbas c. Atteſtationes, nu. 7. eod. tit. & ibi Alex. de Nevo nu. 20. Brunel. de ſponſal. concl. 4. n. 6. Roſella v. Matrim. 2. n. 5. Sylv. v. Matrim. 5. qu. 5. Tabiena v. Matrim. 2. q. 6. n. 7.* Atque idem ex multis probavi in ętate ad ſponſalia requiſita, lib. 1. diſp. 16. nu. 2. 2

Quare mihi non placent quidam aſſerentes ſufficere eam ętatem ad matr. valorem, quamvis tres dies ex ea deficiant. Quod moraliter cenſeatur tunc ętas completa. Sic tradunt *Hoſtien. c. Puberes, num. 5. de deſponſ. impub. & Veracr. 1. p. Speculi, art. 16. verſ. Primo ſponſalia*, dicens requiri in femina annum duodecimum, vel prope. Et *Martin. a Ledeſ. 2. p. 4. q. 60. a. 1. col. penult. verſ. Hæſitabis ulterius*, dicens ſatis eſſe, quamvis decem dies deſint. Sed in ſimili late reprobavi lib. 1. diſp. 16. n. 4. nempe, in ſponſalibus. Et profecto ſi id eſſet verum, corrueret doctrina tot Doctorum, quos n. præc. retuli, tanquam quid ſpeciale, dicentium favore matr. valere, quamvis ultima dies non ſit completa, ſed incepta. Atque ita in propriis terminis docent *Abbas c. fin. de deſponſ. impub. num. 6. & Enric. c. Puberes nu. 5. eodem 1. to. Card. eod. c. fin. num. 2. Alex. de Nevo, c. Atteſtationes, n. 19. eod. tit. Brunel. de ſponſal. concl. 4. n. 6. Sotus 4. d. 35. q. un. a. 5. verſ. At vero utrum. Celſus conſ. 105. n. 3.* 3

Hinc deducitur, in dubio nec marem nec feminam præſumi generationi aptos ante dictam pubertatis ætatem completam, quare ante eam ætatem aſſerenti hanc aptitudinem incumbet onus probandi, utpote qui præſumptionem contra ſe habet. Et ita docent *Innoc. c. Continebatur, n. 3. de deſponſ. impub. & ibi Ant. n. 10. & c. Puberes, n. 3. eod. tit.* ubi *Hoſt. num. penult. Henr. n. 2. Alex. de Nevo, c. A nobis, num. 8. eod. tit. Domin. conſ. 24. n. 6. Brunel. de ſponſal. concl. 28. num. 8. declarat. 3. Navar. ſumm. c. 22. Hiſp. n. 28. Latin. n. 29. Covar. 4. decret. 2. p. c. 5. nu. 3.* At impleta pubertate præſumitur hæc generandi potentia: ac ſubinde in eam negantem transfertur onus probandi. Ut bene docet *Domin. proxime alleg.* Et tamen præſumptio hæc juris tantum, contra quam contraria probatio admittitur: ut bene docet *Hoſt. proxime citatus.* Atque hinc deducitur ſolutio cujuſdam objectionis. Poſſet enim quiſquam dicere inutilem eſſe hanc doctrinam, nullique uſui deſervire. Cum nu. ſeq. dicturi ſimus, malitiam, id eſt, generandi potentiam ante ætatem completam advenientem, ſupplere ætatem, ac efficere ut matr. tunc initum valeat. At non eſt inutilis, ſed valde deſervit (ut in ſponſalibus etiam probavi lib. 1. diſp. 10. & 11.) quod jus in ætate completa præſumat potentiam generandi neceſſariam ad matr. valorem, atque ita matrim. eſſe validum. Id tamen minime præſumet ante eam ætatem completam, quare tunc non conſtante malitia ętatem ſupplente diſſolvetur matr. & alleganti hanc malitiam incumbet probandi onus, ut proxime diximus. 4

Secundo conſtat, in matr. malitiam ſupplere ętatem atque adeo validum eſſe matrim. ante ętatem jure pręſcriptam initum, ſi tunc adſit potentia generandi, & ſufficiens diſcretio ad ſe obligandum. Idque expreſſe definitur *can. De illis c. 2. c. Puberes, & c. fin. de deſponſ. impub.* & ratio eſt, quia ideo jus eam ętatem pręſcribit, quod pręſumat tunc pueros, & non antea, & judicio ſufficienti matr. & potentia generandi pręditos eſſe. Quando ergo antea hęc adeſſe conſtat, cedet pręſumptio veritati. 5

Utrum autem culpa ſit, matr. ante legitimam ętatem inire, malitia minime illam ſupplente; dixi lib. 1. diſp. 17. n. 5. & 6. 6

His

7 His præmiſſis, ſex quæſtiones in hac diſputatione diſcutiendæ ſunt. I. eſt, Quo jure ſit matr. irritum ante legitimam ætatem initum? II. An ſi ætate completa puer generare nequeat, valide matr. ineat? III. quantum temporis ſit tunc expectandum, ad cognoſcendum, an puer ille ſit omnino impotens, ut vel ſic diſſolvatur ratione impotentiæ matr. IV. Quid nomine malitiæ jus intelligat, dum decidit ea ſupplente ætatem, validum eſſe matr. V. Qualiter probari debeat, & cognoſci poſſit adeſſe potentiam generandi ante pubertatem? Ultima, quando puer dicatur pubertati proximus?

8 Quæſtio I. Quo jure ætas pubertatis ad matr. deſideretur, ita ut antea contractum ſit irritum? Quibuſdam videtur id eſſe de jure naturæ. Primo, quia cum nemo ad impoſſibile obligari valeat *l. Impoſſibilium, ff. de reg. jur.* lex naturæ poſcit ad valorem traditionis, ut ſe tradens poteſtatem ſe tradendi habeat. At puer ante pubertatem caret potentia ad copulam, jure ergo naturæ eſt incapax, ut poteſtatem ſui corporis tradat ad copulam conjugalem: in qua traditione eſſentia matr. conſiſtit. Et confirm. ex *c. Quod ſedem, de frig. & malef.* ubi dicitur exigi ad matr. valorem potentiam coeundi. Et videtur loqui textus de requiſito jure naturali. Nam inde colligunt Auctores impotentiam coeundi eſſe impedimentum jure naturæ dirimens matr. Secundo fortius id probat textus *cap. 2. de deſponſ. impub.* ibi: *Ubi non eſt conſenſus: & infra.* Nam textus ille volens inter impuberes matrim. interdicere, præmiſit ea verba, quaſi ſentiens ante pubertatem deficere conſenſum ad matr. ſufficientem, & ideo eſſe irritum. At quando defectu conſenſus irritatur, eſt jure naturæ irritum. Tertio, quia apud *Navar. l. 3. conſil. in 2. edit. tit. de deſponſ. impub. conſ. 5. in fine*, refertur Greg. XIII. die 13. Aprilis, anni 1580. reſpondidiſſe petenti diſpenſationem ad impuberis matr. non poſſe Apoſtolicam Sedem diſpenſare, ſi diſcretio deſit, aut potentia conſummandi matr. Et ideo hanc ſent. ſuſtinent *Alex. Carrerius lib. 5. de ſponſal. cap. 15.*

9 Ceterum veriſſima ſententia eſt, ſolo jure Eccleſiaſtico eam ætatem præſcriptam eſſe: ac proinde attento ſolo naturæ jure valere matr. initum a pueris cujuſcumque ætatis dummodo doli capaces ſint. Ratio eſt aperta. Quia impotentia temporalis non dirimit matr. (ut probavi diſp. 92. nu. 2.) At talis eſt puerorum impuberum impotentia. Non ergo ſecluſo ſpeciali jure Eccleſiaſtico, quod in hoc caſu diremit, eſt jure aliquo irritum inter eos matr. Et confir. quia ut ſecluſo jure Eccleſ. ſpeciali, quod in hoc caſu diſpoſuit, ſit irritum matr. ratione impotentiæ, oportet eam talem eſſe, ut nullatenus auferri poſſit præter divinum miraculum, *c. Fraternitatis, de frigid. & maleſic.* Quod minime contingit in hac, ſed decurſu temporis ceſſat. Tandem, quia qui in præſenti non eſt ſolvendo, poteſt ad ſolvendum obligari, quando ſpes eſt certa fore, ut in poſterum ſolvendo ſit. Quod in impuberibus contingit. Et ideo hanc ſent. ſuſtinent *D. Th. 4. d. 36. q. un. a. 5. corp. Victor. ſumm.* ubi de matrim. *nu. 184. Nav. lib. 4. conſ. in 1. edit. tit. de ſponſalib. conſ. 39. a n. 7. in 2. tom. de deſponſ. impub. conſ. 4. a nu. 7. & toto conſ. 5. Ledeſ. 2. p. 4. q. 60. art. 1. col. pen. Viguer. lib. 5. inſtit. cap. 16. §. 7. ver. 9. ad fin. Verac. 1. p. Spec. art. 39. concl. 1. Matien. lib. 5. recop. tit. 1. rubr. gl. 1. num. 199. Bart. a Led. de matrim. dub. 5. fin. Petr. de Ledeſm. de matrim. quæſt. 58. a. 5. paulo poſt princ. Enriq. lib. 12. de matrim. cap. 7. nu. 1. Manuel 1. to. ſum. 2. edit. c. 235. num. 5.*

10 Hinc deducitur 1. infideles valide contrahere in quacumque ætate, dummodo rationis uſu ſint prædìti. Quod legibus Eccleſiaſticis non ſubdantur. Atque ita docent *Veracruz, Matien. Enriq. Petr. de Ledeſ. ibid.* Quod intelligendum eſt, niſi lege ſpeciali ipſorum id matr. irritetur.

11 Secundo deducitur, integrum eſſe ſummo Pontifici diſpenſare, ut in quacumque ætate matr. initum valeat, modo pueri rationis uſus participes ſint. Sicut poteſt in quolibet alio jure humano diſpenſare. Et ita docent *Navar. & Manuel nu. 9. allegati.*

12 Major autem difficultas eſt, an poſſit Epiſc. ut minores dicta ætate matr. copulentur, diſpenſare? Pars enim affirmans videtur ſuaderi ex *c. 2. de deſponſ. impub.* ibi: *Diſtrictius inhibemus, ne aliqui ante ætatem canonib. præſcriptam conjungantur: niſi forte aliqua urgentiſſima neceſſitate interveniente, utpote pro bono pacis talis conjunctio toleretur.* Et ſic videntur hanc partem ſuſtinere *Hoſt ibi nu. 4. v. Niſi forte, Jo. Andr. ibi, n. 2. Ant. n. 4. Anch. n. 3. Card. in fin. Præpoſ. fin. Alex. de Nevo num. 6.* dicunt enim hi omnes ad Epiſcopum ſpectare cognitionem, an talis cauſa juſta ſit: & addunt omnes dempto *Cardinali*, de Epiſcopi licentia id matr. ante legitimam ætatem ineundum eſſe. Idem videtur ſentire *Nav. 4. conſ. in 2. edit. tit. de deſponſ. impub. conſ. 5. n. ult.* ubi docet *textum eo cap. 2.* intelligi non de tolerantia permiſſionis, ſed approbationis. Et probat, quia in dubio verba in meliorem partem interpretanda ſunt, *cap. 2. de regul. jur.* Quod idem videtur ſignificare *gl. eo cap. 2. Pacis, de deſponſ. impub.* ubi ait admittendum pro bono pacis, quod alias prohibetur. Idem videntur tenere *Palud. 4. d. 28. q. 2. ar. 1. n. 8. & 10. Ang. v. Matr. 3. imped. 16. n. 7. Sylv. v. Matr. 5. q. 6. Tab. v. Matr. 2. q. 6. n. 7. Nav. ſum. hiſp. c. 22. nu. 31.* ubi dicunt eſſe culpam lethalem contrahere matrim. abſque cauſa, & Epiſcopi licentia ante legitimam ætatem. Et ita ſupponunt poſſe Epiſcopum in hoc ætatis defectu diſpenſare. Et tenet expreſſe *Enriq. lib. 11. de matrim. c. 13. n. 12.* quando pueri ſunt prope ætatem, ac dubium eſt, an malitia ætatem ſuppleat: dicitque eam diſpenſationem valere pro utroque foro: atque refert pro ſe *Corſetum*, qui tamen nil dicit. Poteſt etiam probari hæc ſent. Quia quoties in aliquo textu permittitur diſpenſatio, nec explicatur cui, intelligitur conceſſa Epiſcopo (ut ex communiſſima ſent. l. ſeq. late probabimus.) Cum ergo *dict. c. 2. de deſponſ. impub.* videatur concedi diſpenſatio ob urgentiſſimam neceſſitatem boni pacis, poterit Epiſcopus tunc diſpenſare. Et quamvis difficultate hoc non caret, cenſeo ſatis probabile eſſe, in eo caſu urgentiſſimæ neceſſitatis poſſe Epiſcopum.

Ad arg. nu. 8. propoſita reſp. Ad 1. & confir. dic ea procedere, quando impotentia eſt perpetua, ſecus quando eſt temporalis, ut conſtat ex dictis nu. 9. At 2. dic cum *Nav. lib. 4. conſ. in 2. edit. tit. de deſponſ. impub. conſ. 5. n. 3.* Gregorium IX. in compilatione decretalium non potuiſſe eam clauſulam integram, Ubi non eſt conſenſus, non eſt conjugium; ſed ſolum initium poſuiſſe, eis verbis: *Ubi non eſt conſenſus, & infra.* Quod conſulto fecit, ut ſignificaret ſe non ea verba retuliſſe, quaſi in omnibus impuberibus locum haberent: ſed ad opportunitatem allegandi, ut ſæpiſſime facit in compilatione libri decretalium. Et ita Nicolaus Pontifex, qui auctor eſt illius textus *c. Ubi non eſt 30. q. 2.* ponens eam clauſulam integram, ex ea ſolos infantes eſſe matr. incapaces intulit. Ad ultimum dic ſenſum eſſe, non facile ſolere diſpenſare. 13

SUMMARIUM.

An valeat matr. ſi ætate legitima pubertatis adepta, deſit adhuc generandi potentia? Refertur opinio, num. 14.
Proponitur ſententia Auctoris, 15.
Poſt num. 15. invenies alia ſummaria.

QUæſtio II. An valeat matr. quando pubes non eſt potens ad copulam conjugalem habendam? Nec in dubium vertimus, ubi conſtaret, eam impotentiam eſſe perpetuam. Tunc enim certum eſt, irritum eſſe matr. Difficultas ergo hujus q. tunc locum habet, quando non conſtat eam impotentiam eſſe perpetuam: ac ex frigiditate conſurgere: ſed dubitatur an ſit temporalis, ac ex debili ætate proveniat. Duplex eſt ſent. I. ſuſtinet id matr. eſſe irritum. Ducitur, quia *c. Puberes, de deſponſ. impub.* dicitur puberes eſſe, qui generare poſſunt, & *c. De illis, el. 2. eod. tit.* decernitur impuberes potentes generare valide matr. inire. Ergo a contrario ſenſu, qui generare nequit, quamvis ætate ſit pubes, dicetur impubes ad matr. atque ad illud ineptus. Hanc ſuſtinent *gl. 30. q. 2. in ſum. v. Sponſal. & c. Continebatur, v. Proxime, de deſponſ. imp. & c. Puberes, v. Tardiſſime, eod. tit. & ibi Abbas n. 4.* dicentes forte hanc ſententiam eſſe veriorem *Veracr. 1. p. Specul. a. 39. concl. 2.* 14

Secunda ſent. (cui tanquam probabiliori adhæreo, quamvis prima ſit probabilis) ait id matrimonium valere. Quod textus *c. De illis, el. 2. de deſponſ. impub.* ponderet ad valorem matrimonii potentiam coeundi cum minori ætate. Ergo ubi adeſt ætas idonea, non debet attendi potentia. Nec obſtat argumentum a contrario ſenſu, quod inde deducit pro ſe contraria ſent. Non enim eſt eadem ratio: nam quando potentia in puero ætatem prævenit, opus fuit illi conſulere conceſſo matrim. ut incontinentiæ periculum caveret. At quando adeſt ſola ætas, ea ad matrimonii valorem ſatis eſt. Nec curant canones ad decretum variandum, de raro pueri caſu, cui in ea ætate nondum adeſt potentia: ſed ſolum attendunt, ut in ea ætate matr. firmum ſit, communiter tunc advenire potentiam. Ea enim legis natura eſt, ut ſola communiter accidentia ſpectet, *l. Nam ad ea ff. de legibus.* Et ideo hanc ſuſtinent *Hoſt. c. Puberes, n. 5. de deſponſ. impub. & ibi Innoc. fin. Jo. Andr. n. 8. fin. Ant. nu. 3. Anch. nu. 5. Alex. de Nevo, nu. 8. Card. num. un. Præpoſ. ad fin.* & dicit æquiorem *Abbas ibi num. 4. Dominic. conſ. 24. num. 5. Franc. c. unic. §. Idem quoque, num. 3. de deſponſ. impub. in 6. Brunel. de ſponſ. concl. 28. declar. 3. num. 8. Henr. c. Fraternitatis nu. 3. de frigid. & malef. Roſell. v. Matrim 2. num. 8. Angel. v. Matrim. 3. imped. 16. n. 6. Sylv. v. Matrim. 5. quæſt. 7. Tab. v. Matrim. 2. qu. 6. nu. 7. Navar. lib. 4. conſ. in priori edit. tit. De ſponſ. conſ. 39. n. 14. in poſteriori tit. De deſponſ. impub. conſ. 4. n. 14. Cov. 4. decret. 2. p. c. 5. nu. 2. Anton. Cuc. lib. 5. inſtit. major. t. 12. n. 255. Conſtan. tract. de ſponſ. t. de his qui nuptias contrahere poſſunt, num. 34.* (habetur tom. 9. tract.) *Maſcard. de probat. concl. 889. num. 10.* & ex Theologis, *Ledeſm. 2. p. 4. q. 60. art. 1. col. penul. verſ. His ſic præmeditatis, Enriq. lib. 11. de matrim. c. 13. nu. 10. in comment. lit. E. & l. 12. c. 7. nu. 1. Petr. de Ledeſ. de matr. q. 58. art. 5. fin.* Et idem dicendum eſt, quando femina completo anno 12, ex diminuta corporis diſpoſitione nondum poteſt pati virilem congreſſum. Quia eadem prorſus eſt ratio, ac de viro. 15

SUMMARIUM.

Quanto tempore expectandum ſit, quando puer 14. anno completo, & femina 12. adhuc inveniuntur impotentes? Refertur duplex ſent. num. 16. & 17.
Proponitur ſententia Auctoris, 18.
An ſi plena jam pubertate adepta duret impotentia, triennium experientiæ ex tunc incipere debeat, 19.
Poſt num. 19. invenies alia ſummaria.

Quæ

16 QUæſtio III. Quanto tempore expectandum ſit, quando puer XIV. anno completo, aut femina XII. adhuc inveniuntur impotentes ad copulam, ad experiendum an ea impotentia ſit perpetua, ac matr. irritum? Quidam ſentiunt triennium expectandum eſſe, in quo vacent copulæ, & ſi eo tranſacto non potuerint conſummare, cenſeri impotentiam perpetuam, ac diſſolvendum matr. tanquam irritum. Quia *c. Laudabilem, de frigid. & malef.* id triennium experientiæ generaliter præſcribitur. Ita *Ant. c. Puberes, n.3. de deſponſ. impub.* Et videtur expreſſe tenere *Covar. 4. decret. 2. p. c. 5. n. 2.* ubi dicit expectandum eſſe tempus aliquod, ex quo colligi poſſit non ex debilitate, ſed frigiditate impotentiam eam conſurgere: juxta *d. c. Laudabilem*. Cum ergo ad quantitatem temporis præſcribendam remittat ſe ad *cap. Laudabilem*, videtur ſentire eam eſſe triennium ibi præſcriptum.

17 Aliis placet, puero contrahenti XIV. anno præſcribi biennium: & ſi contraxit anno XVII. unicum annum: & feminæ anno XII. nubenti, quæ ex diminuta corporis diſpoſitione non poteſt viri congreſſum pati, præſcribi tempus uſque ad XIV. annum. Sic docet *Enriq. lib. 12. de matr. c. 7. n. 1.*

18 At dicendum eſt, expectandum eſſe uſque ad plenam pubertatem, quæ feminis XIV. ætatis ann. contingit: ut colligitur ex *l. Mela, ff. de alim. & cibа leg.* viris vero XVIII. ætatis anno, ut expreſſe habetur *l. Arrogato ff. de adopt. & §. Minorem, inſtit. eod. tit.* Ducor quod *c. Laudabilem, de frig. & malef.* procedit quando conjectari poteſt ex frigiditate aut alio impedimento impotentiam conſurgere: tunc enim jure optimo ex habitatione triennii præſumpſit Eccleſia id impedimentum eſſe perpetuum. At quando poteſt præſumi ex ætatis imbecillitate impotentiam provenire, æquitas ſuadet eam ætatem expectandam eſſe, in qua perfectum robur comparat natura: tunc enim ceſſabit præſumptio debilitatis ex tenera ætate provenientis, & poteſt jure præſumi frigiditas, aut aliud impedimentum perpetuum. Atque ita ſuſtinent *Hoſt. c. Laudabilem, paulo poſt princ. de frig. & malef. & ibi Jo. Andr. nu. 2. Anch. nu. 4. idem Hoſt. c. Puberes, n. 5. de deſponſ. imp. & ibi Jo. Andr. num. 8. Abbas n. 4. Card. n. 1. Alex. de Nevo n. 9. Anch. n. 6. Præpoſ. ad fin. Henr. n. 8. Franc. c. un. §. Idem quoque, nu. 3. de deſponſ. imp. in 6. Brunel. de ſponſ. concl. 28. declar. 3. n. 8. Roſel. v. Matrim. 2. n. 8. Angel. v. Matrim. 3. imped. 16. n. 6. Sylv. v. Matrim. 5. q. 7. Tab. v. Matrim. 2. q. 6. n. 7. Anton. Cucus lib. 5. inſtit. major. t. 12. n. 255. Franc. Marcus deciſ. parlamenti Delphin. 680. n. 4. p. 2.* Ex quo deducitur non poſſe peti ſeparationem matrim. ratione impotentiæ viri, niſi vir ſit major 18. ann. Quia uſque tunc nondum eſt plenam pubertatem adeptus: & poteſt præſumi non eſſe impotentiam veram, ſed eam ex ætatis debilitate provenire. Quod præter DD. omnes nunc allegatos docent ſpecialiter *Suppl. Piſan. v. Divortium, n. 2. & ibi Roſel. n. 2. Sylv. n. 21.* Quod intelligi debet niſi aperte appareat impotentia ad oculum, ut ſi habeat puer virilia amputata, vel careat utroque teſticulo: tunc enim nulla temporis mora opus eſſet: cum ad oculum conſtet impotentia, ut bene ait *Anch. c. Ex litteris, n. 1. de frig. & malef.* Et ob eamdem rationem quando diſſolutio matr. petitur ob puellæ arctitudinem, nec conſtat ad oculum eam eſſe talem, ut non ex ætate imbecilli conſurgat, non poteſt peti, donec puella expleverit XIV. annum, in quo ei pubertatem perfectam contingere diximus. Quod uſque tunc ex imbecilli ætate provenire poſſit præſumi: ſicut de puero ante plenam pubertatem diximus.

19 Utrum autem adveniente plena pubertate, ſi adhuc deficiat potentia, ſit ſtatim ſeparandum matr. vel ex tunc concedendum ſit triennium? dicemus late diſp. 110. a nu. 8.

S U M M A R I U M.

An dum dicitur in matr. malitia ætatem ſuppleri, nomine malitiæ intelligatur ſola generandi potentia? Refertur opinio, num. 20.
Nomine malitiæ intelliguntur potentia ad copulam, & diſcretio ſufficiens ad conſenſum conjugalem, 21.
Reprobantur dicentes infantem eſſe matr. capacem ſi ad copulam potens ſit, nu. 22. Non ſufficit prudentia ſupplens ætatem, ſi deſit potentia ad copulam, 23.
Poſt num. 23. invenies alia ſummaria.

20 QUæſtio IV. Quid nomine malitiæ intelligatur, dum dicunt textus in matr. malitia ſuppleri ætatem, & ea ſupplente validum eſſe ante legitimam ætatem contractum? Quidam ajunt nomine malitiæ intelligi ſolam generandi potentiam, atque ita in quacumque tenera ætate hæc adſit, poſſe valide iniri matr. Ducuntur, quia *c. De illis el. 2. de deſponſ. imp.* dum dicitur malitia ſuppleri ætatem, explicatur hoc, quando poſſunt pueri copula carnali conjungi: & clarius colligitur ex *c. Puberes, eod. t.* ubi cum textus retuliſſet quoſdam pubertatem ex annis computare, ſubdit hæc. *Certum autem eſt, eum puberem eſſe, qui ex habitu corporis pubertatem oſtendit, & generare jam poteſt.* Hujus ſent. ſunt *gl. dict. c. De illis, v. Copula: & c. fin. eod. tit. v. Prudentia, Hoſt. c. Puberes, n. fin. & ibi Ant. n. 3. Card. n. un. Præp. n. 2. Henr. n. 4. Anch. num. 3. Jo. And. c. Continebatur n. 5. eod. tit. Brunel. de ſponſ. concl. 28. declar. 3. n. 9. Perez lib. 5. Ordin. t. 1. l. 1. f. 7. verſ. Rurſus non obſtat, Ovan. 4. d. 34. diſp. un. in 1. corol. quod infert ex 5. prop.*

21 At multo probabilius eſt, nomine malitiæ ſupplentis ætatem ad matr. petitam, comprehendi potentiam ad copulam, ac prudentiam & diſcretionem ad intelligendam conſenſus conjugalis vim. Quæ cum ſit res graviſſima & perpetua, exigit majorem diſcretionem ea, quæ in tenera ætate reperitur; quare non ſufficit ad matr. impuberis valorem ſola generandi potentia ætatem præveniens, niſi ea quoque prudentia adſit. Probatur ex *c. fin. de deſp. imp.* ubi malitia hæc ætatem præveniens nuncupatur prudentia. Et ex *c. Continebatur, eod. tit.* ubi textus ponderat copulam cum ætate pubertati proxima, ut impuberis matr. valeat. At minime ponderaret eam ætatem ſola copula ſufficienti: ponderatur autem juxta communem intellectum, eo quod diſcretio ad matr. neceſſaria præſumatur ex ætate pubertati proxima. Et ideo hujus ſent. ſunt, *D. Th. 4. d. 36. q. un. art. 5. corp. Abbas c. De illis, el. 2. n. 4. de deſponſ. imp. & ibi Alex. de Nevo n. 7. Roſel. v. Matr. 2. n. 2. Angel. v. Matrim. 3. imped. 16. n. 8. Sylv. v. Matr. 5. q. 2. Tab. v. Matrim. 2. q. 6. num. 7. Brunel. de ſponſ. concl. 4. n. 5. Lex reg. 6. fin. t. 1. p. 4. Sotus 4. d. 35. q. un. art. 5. col. 4. verſ. quod ſi rurſus, & ad fin. corp. & in ſolut. ad 2. Cov. 4. decret. 2. p. c. 5. n. 3. Viguer l. inſt. cap. 16. art. 7. verſ. 9. ad fin. Conſtan. de ſponſ. tit. De his qui nuptias contrahere poſſunt, n. 50. & 51. Ant. Cucus lib. 5. inſtit. major. t. 12. num. 256.* addens vix inveniri impuberem; cui præcoces ad generationem vires natura tribuerit, cui non & præcocem quoque prudentiam dederit. *Enriq. lib. 11. de matr. c. 13. num. 10. Bart. a Ledeſ. de matrim. d. 51.*

Hinc deducitur minus verum eſſe quod tradunt *Hoſt. Cad. Præp. Henr. Perez, n. 20. alleg.* nempe, puerum minorem ſeptennio capacem generandi, ac uſu rationis fruentem, eſſe matr. capacem. Nam cum conſenſus ſit etiam neceſſarius, non eſſet matr. niſi in eo infanti eſſet quoque maxima diſcretio & ita docent *Abbas c. Continebatur, n. 6. de deſponſ. imp. & ibi Præp. n. 4. Roſel. v. Matr. n. 7. Angel. Sylv. Cov. num. præc. alleg.* Nec etiam approbo quod dicunt *Jo. Andr. & Anch. n. 20. relati*, nam ille admittit eſſe matr. modo puer habens generandi potentiam ſit major ſeptennio: hic autem modo ſit ſeptennis. Nam in tam tenera ætate nequit reperiri diſcretio ſufficiens ad perpetuum conſenſus conjugalis vinculum. Ex quibus autem diſcretio præſumatur, & ex quibus potentia coeundi: dicam a nu. 24 & ſpecialiter nu. 27. 22

Secundo deducitur, nec prudentia ſola ſuppleri ætatem matr. neceſſariam: niſi ſimul adſit generandi potentia. Nec obſtat ſponſalia ante ſeptennium valere, modo tunc rationis uſus adſit. Quia cum ſponſalia advenienti pubertate ſolo puberis conſenſu ceſſari valeant, non tantam diſcretionem ad ſui valorem deſiderant, quantam matr. quod eſt vinculum perpetuum. Sic colligitur ex omnibus DD. num. 21. allegatis. Et docent *Sot. 4. d. 35. q. un. ar. 5. col. pen. verſ. At vero utrum, Bart. a Led. de matr. dub. 51. fin. Petr. de matr. q. 58. a. 5. fin.* 23

S U M M A R I U M.

Qualiter probandum ſit adeſſe potentiam generandi ante pubertatem? Refertur quædam ſententia, nu. 24.
Probatur hæc potentia, ſi femina impubes fuerit cognita, vel puer impubes copulam habuerit, 25.
Niſi ad copulam facit præſumere potentiam ad illam, 26.
Copula ne dum niſus non facit præſumere diſcretionem: at proximitas ætati inducit præſumptionem diſcretionis, non tamen potentiæ, 27.
Poteſt potentia ex aliis ſignis abſque actuali copula probari, 28.
Quæ ſint hæc ſigna: & an hæc potentia accidat ante pubertatem, & quibus, 29.
An ſi non adſit proximitas pubertati, præſumatur ex aliis ſignis potentia, 30.
An ſi femina non ſit pubertati proxima, apertio clauſtrorum probet copulam & potentiam, 31.
An ad dijudicandam hanc potentiam ex ſignis ſufficiat aſpectus partium ſuperiorum corporis, an etiam partes verendæ ſint inſpiciendæ, 32.
An ſtetur juramento viri dicentis ſe habuiſſe copulam cum impubere? nu. 33. & ibi, quid ſi impubes cohabitet cum femina, & reperiatur corrupta.
An meſtruum in femina ſufficiat ad probandum eam eſſe generationi aptam, 34.
An puer ad ſeminis effuſionem aptus præſumatur aptus ad matrimonium, 35.
An puerum piloſum eſſe in pudendis, ſit ſignum potentiæ, 36.
Poſt num. 36. invenies cetera ſummaria quæ deſiderantur.

QUæſtio V. Qualiter probandum ſit adeſſe potentiam generandi ante pubertatem? Quibuſdam placet nullatenus probari poſſe, niſi per actualem copulam: & dum de hac non conſtiterit: minime poſſe dici malitia ſuppleri ætatem ad matr. petitam, unde dum textus *cap. De illis el. 2. de deſponſ. impub.* explicans hanc malitiam qua ætas ſuppletur, ait: *Si potuerint copula carnali conjungi.* Explicat *Hoſt. ſtatim alleg.* id eſt: ſi de facto ſe conjunxerint. Hujus ſent. ſunt, *Tancr. & Hoſt. c. Puberes, nu. penul. de deſponſ. imp. & d. c. De illis, ſtatim in princ. Anch. c. De illis, el. 1. fi. eod. tit. Anchid. c. un. nu. 2. de ſponſal. imp. in 6. Henr. d. c. Puberes, n. 3. D. Ant. 3. p. t. 1. n. 19. id princ. col. 3. immediate ante verſ. Et quia ſecundum,* & favent *Sot. 4. d. 35. q. un. art. 5. col. penul. verſ. At vero utrum, & Petr. de Ledeſ. de matrim. q. 58. art. 5. col. ult.* 24

ubi

ubi ajunt requiri eos vere matr. conſummaſſe, vel ad id eſſe idoneos.

25 Prima tamen concluſio ſit. Satis probatur potentia impuberis ad copulam, ſi femina impubes ab alio fuerit cognita, vel puer impubes aliam feminam cognoverit, quod apta uni præſumatur aliis apta: ac potens ad unam præſumatur ad alias quoque feminas potens. Et ita docent *gloſſ. c. unic. v. Supplebat, de deſponſ. imp. in 6. & ibi Jo. Andr. nu. 4. fin. Domin. ibi §. Idem quoque num. 8. Ant. c. De illis, el. 2. de deſponſ. impu. num. 5. & ibi Abbas num. 4. Præpoſ. num. 1. Henr. c. Puberes, num. 3. eod. tit. Brunel. de ſponſ. concl. 28. declar. 3. n. 9. Angel. v. Matrim. 3. imped. 16. num. 5. Roſella v. Matr. 2. n. 2. Sylv. v. Matrim. 5. qu. 3. Cov. 4. decret. 2. p. c. 5. n. 3. Maſcar. de probat. concl. 889. n. 10. Henr. l. 11. de matr. c. 13. nu. 11.* Et dicunt eſſe valde probabile, quamvis tutius ſit ut inter ipſoſmet ſit copula, *Sotus 4. d. 35. q. un. a. 5. col. pen. ver. Gravius tamen: & Bart. a Ledeſ. de matr. dub. 51. col. ult.*

26 Secunda concluſio. Niſus ad copulam facit præſumere potentiam ad illam. Sic colligitur ex *c. Atteſtationes, de deſponſ. impub.* & docent *Covar.* alios referens *lib. 4. decret. 1. p. c. 4. §. 1. n. 20. Maſcard. de præſumpt. lib. 3. præſump. 2. nu. 53. Enriq. l. 11. de matr. c. 13. n. 11.*

27 Tertia concluſio. Copula, nedum niſus ad illam, minime inducit præſumptionem diſcretionis ad matr. petitæ, facit tamen præſumi potentiam. E contra autem propinquitas pubertati facit præſumi diſcretionem, non tamen potentiam. Sic *Covar. 4. decret. 2. p. c. 5. nu. 3.* Ratioque eſt, quia in tenera ætate invenitur aliquando robur ad copulam (ut nu. 29. probavimus) cum tamen in ea non ſolet tanta diſcretio adeſſe, quanta ad vinculum graviſſimum ac perpetuum matr. deſideratur. Et e contra, quando puer pubertati proximus eſt, ſolet diſcretione ſufficienti ad hoc præditus eſſe: cum tamen raro potentiam generandi tunc habeat.

28 Quarta concluſio. Multo probabilius eſt, poſſe potentiam ad copulam ex ſignis probari, quamvis copula nondum habita ſit. Ducor, quod textus *c. De illis, el. 2. de deſponſ. imp.* ut impuberis matr. valeat, ponderet propinquitatem pubertati, ac coeundi potentiam. Sentit ergo potentiam non ex ſola copula probari, ſed ex aliis quoque ſignis. Nam alias non potentiam, ſed potius copulam ipſam ponderaret. Atque ita ſuſtinent *Inn. c. De illis, el. 2. init. de deſponſ. imp. & ibi Jo. Andr. n. 3. Abbas nu. 4. Præp. n. 1. Alex. de Nevo, n. 8. Ant. c. Continebatur, n. 10. eod. tit. & ibi Card. nu. 5. verſ Oppono quod ſint ſponſ. Franc. c. un. §. Id quoque n. 3. eod. tit. in 6. Caval. conſ. 121. n. 19. Brunel. de ſponſ. concl. 4. n. 6. & concl. 28. decl. 3. n. 9. Roſel. v. Matr. 2. n. 3. Sylv. v. Matrim. 5. q. 3. Cov. 4. decr. 2. p. c. 5. n. 3. Ant. Cucus l. 5. inſtit. major. t. 12. n. 255. Menoch. de arbitr. l. 2. centur. 1. caſ. 58. n. 8. Perez, l. 8. ordin. t. 15. l. 2. verſ. De catorze. Maſcar. de probat. concl. 889. n. 10. Enriq. l. 11. de matr. c. 13. n. 11. in comment. lit. M.*

29 Signa autem judicis arbitrio penſanda eſſe teſtantur DD. præc. alleg. Judex ergo hoc arbitrabitur inſpecta perſonæ qualitate, membrorum diſpoſitione, ac valetudine bona, & n. pen. alias conjecturas proponemus. Atque *Nav. l. 4. conſ. in priori edit. tit. de ſponſ. conſ. 39. n. 13. in poſter. tit. de deſponſ. imp. conſ. 4. num. 13.* ait quamvis potentia coeundi non ſoleat in plurimum evenire ante ætates prædictas, nihilominus ſæpe evenire præcipue illis, qui in deliciis nutriti ſunt. Nam inter ſuperbas opes, & delicias enutriti vires majores majuſque robur corporeum acquirunt, unde *D. Greg. l. 4. dialog. relat. a gl. 20. q. 1. in ſum.* refert, quemdam puerum novem annorum nutricem ſuam feciſſe prægnantem. Et *D. Hier. ep. 32. ad vitalem presb.* narrat ſe audiiſſe idem de puero 10. annorum, ait Salomonem 10. ætatis anno genuiſſe Roboam, & Achaz 11. anno Ezechiam, & refert *idem Nav.* ibi ſe audiviſſe a viris magna fide dignis quamdam puellam 10. annorum ante paucos annos peperiſſe in regno Neapolitano. Atque *Tiraq. l. 6. connub. n. 37.* affert multa exempla ex variis Auctoribus petita puerorum, qui 9. anno, 10. & 11. genuere, & feminæ quæ 9. anno concepit.

30 Hoc tamen temperandum eſt, dummodo adſit proximitas pubertati: ea etenim deficiente non præſumitur ex his ſignis potentia. Sic *Ant. c. De illis, el. 2. nu. 5. de deſponſ. impub. & ibi Alex. de Nevo, n. 8. Enriq. l. 11. de matr. c. 13. n. 11. in comment. lit. M.* Quando autem cenſeatur proximitas pubertati, dicemus a nu. 37.

31 Imo *Innoc. c. Continebatur, nu. 3. & 4. de deſponſ. imp. & ibi Abbas n. 7. Præp. n. 3.* tuentur quando femina non eſt pubertati proxima, minime probari eam eſſe matr. aptam ex apertione clauſtri. Quod natura præſumat contrarium, atque ipſam ſolum paſſam eſſe. Atque explicat *Innoc.* niſi mulier ſit in 11. anno, vel ultra. Sed merito id reprobant *Card. eo c. Continebatur, n. 5. Alex. de Nevo n. 30. & 31.* dicentes id verum eſſe in femina ſeptenni, vel paulo majori, niſi appareat ex corpulentia, vel ex aliis ſignis viro apta: ſecus ſi ſit multo major ſeptennio: tunc enim præſumitur matr. apta ex ſola clauſtri apertione, ut eſt textus *cap. fi. de eo, qui cognovit conſang.* Præterea, quia maſculus, qui tardius femina pubeſcit, quandoque nono anno eſt aptus copulæ, ut nu. 29. probavi.

32 Controvertitur autem inter DD. an ad dijudicandam in puberibus potentiam hanc ad copulam ex ſignis, ſint aſpiciendæ partes verendæ impuberis? Quidam affirmant eas inſpiciendas eſſe per matronas practicas. Juxta *c. Ex litteris, c. Fraternitatis, c. fin. de frig. & malef.* Sic conſtituit, *Plato l. 11. de leg.* & ſic apud Romanos olim obſervabatur, teſte *Juſt. inſt. quibus modis tutela finiatur, in prin. & l. fin. C. quando curator vel tutor eſſe deſinat.* Et ita ſuſtinent *gl. fi. c. Puer, de deſponſ. imp. Goffr. ſum. eod. tit. n. 2. Abbas c. Continebatur, n. 7. eod. tit. Fab. inſtituta quibus modis tutela finiatur, in princ. n. 2. Franc. Marcus dec. parlamenti Delph. 678. n. un. p. 2.* Verum hæc ſent. communiter improbatur (& merito) Nam ut pudori parcatur, & honeſtas ſervetur, conſtituit *Juſtinianus* locis allegatis, non eſſe locum hujuſmodi inſpectioni ad pubertatem ex potentia ad copulam probandam. Quod cum a Juſtiniano inſtitutum ſit: multo priori ratione ab Eccleſia ita obſervandum eſt. Adde nullibi præſcribi in jure canonico hanc inſpectionem: nam *c. Ex litteris, c. Fraternitatis, c. fi. de frig. & malef.* ubi ea præſcribitur, ſermo habetur quando poſt contractum matr. petitur ejus diſſolutio ob conjugis impotentiam. Et ideo concludo non eſſe ob hoc judicium partes verendas corporis inſpiciendas, ſed partes ſuperiores. Et ita ſuſtinent *Hoſt. d. c. Puberes, n. 1. & 2. & ibi Jo. Andr. n. 1. Ant. fin. Abb. n. 2. Anch. nu. 3. Henr. n. 8. & 9. Alex. de Nevo c. Continebatur, num. 31. eod. tit. Caval. conſ. 121. n. 19. Ant. Cucus l. 5. inſtit. major. t. 12. nu. 255. Plaza de delictis c. 32. n. 5. verſ Rurſus, Menoch.* multa afferentes ex Tiraquello petita, quem ibi refert ad probandum quam indecora ſit hæc inſpectio, *lib. 2. de arbitr. cent. 1. caſ. 58. a n. 3.* intellige tamen hoc, quando dubitatur de pubertate, ſecus enim quando de virginitate, vel an vir habeat membrum aptum generationi. Cum enim hæc judicari nequeant abſque partium verendarum inſpectione, eæ neceſſitate cogente inſpiciendæ ſunt. Ita *Hoſt. n. 2 Jo. And. Ant. Anch. Henr. ibid.* Secundo intellige, quando matr. nondum initum eſt. Nam ſi eo inito, de ejus valore diſceptetur, allegeturque copula ad probandum ætatem malitia ſuppletam eſſe, atque adeo fuiſſe validum, inſpici debent a matronis partes verendæ feminæ. Quod hoc nimia urgenti neceſſitate fiat, ne diſſolvatur matr. Sic *Hoſt. eodem n. 2. & Alex. de Nevo, dict. c. Continebatur, n. 31.*

Sed dubitabis, an ſtandum ſit juramento viri dicentis ſe copulam habuiſſe cum impubere? Aliqui affirmant puella exiſtenti proxima pubertati, ut in 11. anno, vel circa 12. ſtari tali juramento, ac judicari matr. Secus ſi non ſit proxima pubertati: tunc enim aliæ probationes deſiderantur. Sic *Ant. c. Continebatur, n. 10. de deſponſ. imp. & ibi Abbas n. 7. Præp. n. 3. Franc. Marc. deciſ. parlam. Delph. 680. n. 4. p. 2. Verac. 1. p. Specul. art. 93. concl. 4.* Imo *Abbas n. 9. & Verac. ead. concl. 4.* idem affirmant, quando femina eſt in decimo anno. At verius eſt, non ſat eſſe id juramentum. Quia *c. Continebatur, verſ. Si autem de deſponſ. imp.* diverſificari debet a præcedentibus in facto, & in jure, ob particulam illam adverſativam, autem, juxta ea quæ notantur *l. Sed ſi lege, ff. de petit. hæred.* & ideo debet intelligi, dum ibi dicitur puellam pubertati proximam a viro cognitam non eſſe a viro ſeparandam, quando ea copula ſufficienter probatur. Quando autem paulo ante ibi dicitur ſtandum juramento viri in hac copula, intelligitur quando femina pubes eſt. Quod inde etiam conſtat, quia Pontifex allegat in decretis haberi ſtandum juramento viri aſſerentis ſe cognoviſſe uxorem ubi *gl. v. In decretis* refert *c. Si quis uxorem, 33. q. 1.* in quo textu non eſt ſermo quando femina impubes eſt. Et ita docet *Alex. de Nevo eo c. Continebatur, n. 32.* & favet valde *Covar. 4. decret. 2. p. c. 5. n. 3.* ubi cum *Dominico conſ. 24. n. 9.* ait allegantem copulam impuberis cum femina debere actum copulæ probare: quod ſi id probare velit ex eo, quod femina habitans cum impubere corrupta reperiatur, oportere probari eam traditam eſſe impuberi virginem, ac tempore cohabitationis cum eo corruptam reperiri. 33

Quinta concl. Menſtruum in femina ſufficit ad probandam aptitudinem ejus ad generationem. Ducor, quod feminæ ex tempore quo menſtruum habent, & non antea concipere valeant, ut docent *Lyra ſuper illud Exod. 21. Egredietur gratis, & ibi Abul. qu. 13. verſ. De pubert. Donat. Ant. lib. de uterum gerent. c. 1. init. Vaileſ. de ſacra philoſop. c. 10.* & conſonat *Ariſt. l. 7. de hiſtor. anim c. 2. init.* ubi ait conceptum mulierum a profluvio menſtrui ſuapte natura incipere: at fieri poſſe, ſed raro aliquas ſine profluvio concipere. Et ideo hanc concluſ. tenent *Roſel. verb. Matr. 2. n. 3. Sylv. v. Matr. 5. q. 3. Enriq. l. 11. de matr. c. 13. n. 11.* 34

Sexta concluſio. Si puer aptus ſit ad ſeminis effuſionem, præſumitur quoque ad matr. aptus. Quia ſeminis effuſio eſſe nequit niſi in apto ad generandum. Et ita docent *Roſella & Sylv. num. præc. alleg.* 35

Ultima concluſio. Sola lanugo in pueri pudendis non arguit potentiam ad generandum, ac malitia ſuppleri ætatem. Quia nec omnes piloſi ſunt potentes, nec omnes non piloſi impotentes. Ita doceat *Hoſt. c. Puberes nu. 2. de diſpenſ. imp. Domin. conſ. 24. n. 9.* Quamvis *Innoc. c. De illis, el. 2. ſtatim in princ. de deſponſ. imp. & ibi Alex. de Nevo, num. 8.* dicant ex lanugine apparere potentiam. 36

S U M M A R I U M.

Quando dicatur puer proximus pubertati? Referuntur variæ ſententiæ, nu. 37. 38. & 39.
Hoc relinquitur arbitrio judicis, 40.
Quid ſpectandum ſit a judice ad id arbitrandum, 41.
Quota pueri ætate deſiderentur urgentiora ſigna, 42.

Quæ

37 QUæſtio ultima. Quota ætate dicantur pueri pubertati proximi. De hac re late diſſerit *Menoch. de arbitr. l.2. centur.1.caſ.57.a n.20. uſque in fin.* ubi varias refert ſent. & earum fundamenta. Sed breviter quatuor ſententias referam. I. docet pubertati proximum dici eum, qui ab ea per ſex menſes diſtat. Ducitur ex *l. Non tantum, ff. de excuſat. tutor.* & alia fundamenta affert *Menoch.* Sic docent *gl. c. Continebatur, v. Proxima, de deſponſ.impub. & ibi Innoc.n.2. Anchar. n.4. Card.n.3. & 6.Alex. de Nevo, num.23.fin. Paulus conſil.277. quia per primum, nu.3. vol.1.* (*in alia edit. eſt conſ. 272.*) *Jaſon*, & multi alii quos refert ibi *Menoc. Staph. de litt.gratiæ tit. de modis vocationis, in 5. modo, art.5.Enriq.l.11. de matr. c.13.nu.11.* Et hoc dicit valde notandum *Abbas d.c. Continebatur, nu.9.* ad ſtatuta loquentia de proximo alicui ætati, ut talis dicatur, quando ab illa 6. menſibus aut minori ſpatio diſtat. At quoad matr. valde confuſe loquitur.

38 II. Sententia ait, ætati alicui proximum appellari, qui eſt circa finem ipſius, aut ipſam exceſſit per tres dies. Sic *Hoſtien. c. Continebatur, de deſponſ. imp.* ſed hanc reprobat *Menoc. c. caſ. 57. a num. 37.*

39 III. Sententia dicit, puerum dici proximum pubertati quoad matr. quando exceſſit annum 10. cum dimidio; & puellam cum exceſſit annum 9. cum dimidio. Ratio eſt deſumpta ex *Abbate c. Continebatur, n.9. de deſponſ.imp.* Quia a fine infantiæ, nempe ſeptennio, reſtant in puero uſque ad pubertatem 7. anni: & qui excedit 10. cum dimidio, jam excedit hujus temporis medietatem, & ſic propinquior eſt pubertati. Similiter in femina a fine pueritiæ uſque ad pubertatem reſtant quinque anni: quare quando excedit 9. cum dimidio, jam excedit medietatem. Hanc tenent. *Roſella Matr. 2. nu.4. Sylveſt.v.Matr.5.q.4.* & multi alii, quos refert *Menoch. dict. caſ.57. n.21.* licet non explicent quoad matr. ſed forſan loquantur quoad contractus, & obligandum ſe naturaliter. Et hanc ſent. late reprobat ibi *Menoch. num.23.*

40 Ultima & verior ſent. eſt judicis arbitrio relinqui, qua ætate dicantur maſculus, & femina impuberes pubertati proximi. Quod cum id jure præſcriptum non ſit, merito judicis arbitrio committatur. Et ita ſuſtinent *Goffr. ſumm. tit. de deſponſ.imp. nu. 5. Ant. Cuc. c. Atteſtationes in fin. cod. tit. Præp. c. Continebatur, in fin. cod. tit. Francus c. un. §. Idem quoque, n. 1. cod. tit. in 6. Faber, Salicet. Decius Vigil. Coraſius*, quos refert ac ſequitur *Menoch. d. caſ. 57. n. 43. D. Ant. 3. p. t. 1. c. 19. in princ. col. 3. Tab. v. Matr. 2. q. 6. n. 7. Sot. 4. d. 35. q. un. a. 5. col. 3. verſ. Quod ſi rurſus, Cov. clem. Si furioſus, de homic. 3. p. in it. n. 5. & in 4. decret. 2. p. c. 5. n. 5. Greg. Lop. l. 6. fin. t. 1. p. 4. Duen.* multos alios referens *reg. 259. lim. 3. Gut. auth. Sacramenta puber. num. 4. C. ſi adverſus vendition. Placa de delic. c. 34. num. 4.*

41 Judex autem ad hoc arbitrandum; non tam annorum numerum, quam perſonæ conditionem actuique qualitatem ſpectabit: eritque ſpectanda regionis qualitas in qua impubes natus eſt. Quædam enim regiones calidiores pueros, quam alias procreant, & nu. 29. alias etiam conjecturas propoſui. Sic multis teſtimoniis, probans docet *Menoch.d.caſ.57.a n.44.ad 52.*

42 Demum obſervandum eſt, judicem volentem decernere proximum eſſe pubertati puerum, qui decimum annum cum dimidio non exceſſit, aut feminam minorem nono cum dimidio, id non facturum, niſi cautiſſime, ac raro, maximeque conjecturis perſuaſum. Quod præſumptio ex modicæ ætatis natura deducta valde repugnet. At poſt eam ætatem non ita urgentes conjecturæ deſiderantur, ſed ſufficiet aliquot mediocra ſigna perpendere. Si vero ſemeſtre tantum ad pubertatem deſit, audacius, & levioribus argumentis eſt judicandus puer pubertati proximus. Et ita docent *Cov.4.decret.2.p.c.5.n.5. Duennas reg. 259.limit.3. ad fin. Menoch.d.caſ.57.nu.52.*

DISPUTATIO CV.

An impotentia ex morbi ſtatu conſurgens, ut quia contrahens ita in mortis articulo eſt, ut ſalus omnino deſperetur, irritet matr. an potius id valeat, etiam ad reddendam prolem antea habitam in ſubſtituti præjudicium?

SUMMARIUM.

Quot quæſtiones diſputandæ ſint, num 1.
An matr. in articulo mortis valeat? Refertur opinio, n.2.
Eſt validum, 3.
An reddat prolem antea habitam legitimam? Refertur opinio, num.4.
Reddit legitimam, 5.
Id habet verum, quamvis ſenex decrepitus tunc contrahat, 6.
An ea legitimatio vim habeat excludendi eum qui deficienti prole legitima ſubſtitutus eſt, quando non facta eſt animo defraudandi ſubſtituti? Refertur quædam ſententia, 7.
Proponitur Auctoris ſententia, 8.
Quid, quando conſtat de animo fraudandi ſubſtituti? Refertur opinio, n.9.
Explicatur Auctoris ſententia, 10.
Satisfit argumentis, 11.

1 TRia petit diſp. præſens. I. eſt, an matrimonium in articulo mortis deſperata jam ſalute, initum valeat. II. an prolem legitimet? III. an id ſit verum in præjudicium ſubſtituti, deficiente prole legitima.

Quod 1. videtur id matr. irritum. Quod actus incipere nequeat, ubi finiri debeat: & ideo uſusfructus inutiliter legatur, in tempus mortis uſufructuarii quo terminandus uſusfructus eſt, *l. Titio, cum morietur, ff. de uſufructu*, ibi: *Titio cum morietur, inutiliter uſusfructus legari intelligitur, in id tempus videlicet collatus, quo a perſona diſcedere incipit.* Cujus ratio eſt, quod idem monumentum nequeat eſſe cauſa libertatis, & obligationis. Quippe contrarios effectus produceret. Quod cum ipſa rei natura pugnat, teſte *Platone l. 4. de Repub.* At tunc diſſolvi matr. morte debet. Non ergo poterit tunc incipere. 2 2. quia copula tunc eſt impoſſibilis. Nec initur ad vitandam fornicationem: cum conſtitutus in articulo mortis eo periculo careat, & eſto illi ſubeſſet, nec ſibi nec comparti ſatisfacere poſſet copula habita. Ergo id matr. tanquam duplici ſuo fine deſtitutum eſt irritum. Et ideo hanc ſententiam tenet *Bald. l. Sed eſt quæſitum, in fin. ff. de liber. & poſth.* Et in eam, quamvis dubius inclinat *Cynus l. Nuper, in fin. C. de natural. liber.* quando non eſt aliqua ſoboles ante id matrim. habita, quæ per illud legitima reddenda ſit: ſecus ea ſobole extante. Quod in priori caſu ſobolis ſpes deficiat: non autem in poſteriori. Ut nu. 5. explicabimus.

Ceterum vera omnino ſent. eſt id matr. eſſe validum. Idque conſtat ex uſu Eccleſiæ: qui habet, ut in articulo mortis 3 conſtitutus valde affectus erga concubinam, cui diu adhæſerat, illam ducat; ne ſalus ejus ſpiritualis deſperetur ob concubinæ affectum, ac defectum propoſiti recedendi ab illa. Secundo, quia potentia generandi adhuc perſeverat, quamvis uſus illius futurus minime ſit ob impedimentum extrinſecum. Tertio, quia nec propoſitum non ſuſcipiendæ prolis, nec debiti non reddendi irritat matr. quando id in pactum non deducitur, *cap. final. de condit. appoſit.* Et conſtat in contrahente animo ingrediendi religionem ante conſummationem. At in hoc eventu id non deducitur in pactum. Adde *gl. leg. Gallus, in princ. verb. In decem menſibus, ff. de liber. & poſth.* videri ſentire poſſe in die ipſa mortis concipi prolem: dicens in numero menſium, quibus proles naturaliter edi poteſt, computandam mortis die. Tandem, quia in eo mortis articulo poteſt contrahi matr. ſpirituale, profitendo, *cap. Sicut tenor, de regul.* Cur ergo non poterit carnale? Nec obſtant in contrarium adducta. Nam ad 1. reſp. aliud eſſe conferre matr. in tempus mortis, id eſt, ut a tempore mortis valere incipiat, & aliud id inire mortis tempore. Prius enim fieri nequit, utpote quod eſt contra vinculi conjugalis naturam morte ipſa diſſolvendi. Et hoc eſt, quod deciditur in *l. Titio, cum morietur, in eo arg. alleg.* At poſterius fieri optime poteſt, cum contrahatur tempore habili, ac pro tempore habili. Nec idem tunc producit diverſos ac contrarios effectus: ſed conſenſus efficit matr. valere, quod poſtea mors dirimit. Nec obſtat etiam ſecundum argumentum. Quia dicendum eſt matr. non poſſe contrahi ab eo, qui ex naturali, & propria virtute generare nequit, ſecus quando poteſt, atque ad id habitum habet, quamvis ejus exercitium ſit ad tempus morbo ſuſpenſum. Cum is habitus poſſit quandoque ad exercitium reduci. Et ideo hanc ſententiam tanquam certiſſimam tenent univerſi DD. tota hac diſputatione allegandi.

Circa ſecundum quæſitum, nimirum, an matrimon. tunc 4 initum ſit ita efficax, ut valeat reddere legitimam prolem naturalem antea habitam? *Baldus l. Eam quam, n. 27. Cod. de fideicom.* quamvis fateatur id matr. valere, negat tamen efficax eſſe ad reddendam prolem antea habitam legitimam. Quod *leg Nuper, Cod. de natural. lib.* decidatur matr. habere vim legitimandæ prolis, quando ſpe ſobolis initur. Quod in eo matrimonio minime reperitur. Secundo, quia tunc nequit conſtitui dos oneribus matrimon. ſuſtinendis deſerviens. Quod ut prolis legitimandæ vi gaudeat, deſideratur *l. Juliam, ff. de jure dot.*

At ſimiliter eſt veriſſimum, id matr. habere vim legiti- 5 mandæ ejuſmodi prolis. Quia *c. Tanta, qui filii ſi. legit.* generaliter ea virtus vere matr. tribuitur: quale eſt hoc. Quare hæc non cohærent, matr. eſſe validum, & non efficere prolem naturalem antea habitam legitimam, ut *idemmet Baldus*, ſibi non conſtans animadvertit, *l. Nuper, ſtatim in princ. C. de natur. liber.* Nec obſtat prior ratio in contrarium adducta. Quia reſpondet *idem Baldus c. Innotuit, n.11. de elect. Covar. 4. decret. 2. p. c. 8. §. 2. n. 10.* & fere omnes DD. allegandi, dici id matr. ſpe prolis initum: quod ineatur ad ſuſcipiendam prolem legitimam ratione matr. quæ ex illegitimo concubitu ſuſcepta fuerat. Atque ideo proles illa cum ea nova qualitate eſt effectus ex hoc matr. conſurgens, & quaſi nova proles dicitur. Nec poſterior ratio etiam obſtat. Quia ad prolis legitimationem dotis conſtitutio minime deſideratur, attento jure canonico. Et ita hanc ſent. ultra DD. omnes a n. 7. uſque in finem allegandos, qui in hoc conveniunt, & ſolum diſcrepant an ea legitimatio efficax ſit ad excludendum ſubſtitutum, tenent *Jo. Andr. regi Sine culpa, dub.1. de regul. juris in 6. & cap. Tanta, nu. 2. qui filii ſint legit. & ibi Ant. n. 14. Anch. nu. 4. notab. 2. Card. n. 6. Præpoſ. nu. 7. Alex. de Nevo, num. 24. Henr. nu. 5. idem Alex. de Nevo, c. Commiſſum nu. 6. de ſponſ. & c. 2. n. 5. de conjug. l. proſ. Abbas eo c. Commiſſum, nu. 3. & eo c. 2. n. 4. ubi idem Præp. nu. 3. Cyn. l. Nuper, n. un. C. de natur. liber. & ibi Salic. fin. Bald. c. Innotuit, n. 11. verſ. Ex prædictis, de elect. Alber. c. Cum quis, nu. 5.*

C. de

C. de matr. lib. Aretin. l. Sed eſt quæſitum in fin. ff. de lib. & poſth. Ang. auth. Quibus modis naturales effic. legit. in princ. n. 2. Imol. l. Si quis poſt. in fin. princ. ff. de liber. & poſth. & l. Cum tale, §. Maviæ, in fin. ff. de cond. & demonſt. Mayn. l. Quoties, n. 22. ff. de reg. jur. Montal. l. 2. v. Sehan herederos, t. 6. De las mandas, l. 3. fori. Lud. de Sardis de natur. liberis 2. p. t. de legit. per verum matrim. q. 1. n. 3. Mart. Laud. tr. de legit. n. 159. (uterque habetur t.8. tr. p.2.) *Brunel. de ſponſ. concl. 2. ampliat. 4. n. 19. Franc. reg. Sine culpa, n. 3. de reg. jur. in 6. Tiraq. l. Si unquam, v. Suſceperit, nu. 73. C. de rev. dom. Cifuentes l. 12. Tauri, dub. 9. num. 13. & ibi Caſtill. n. 5. Covar. 4. decr. 2 p. c. 8. §. 2. n. 10. Durans de art. teſtan. t. 1. de his qui non habent factionem teſtamenti, cautela 14. nu. 2. Ant. Cannet. in extrav. Volentes Federici 2. regis Siciliæ, §. Sed an conſtitutus in mortis art. n. 8. Rojas epitome ſucceſſ. c. 2. n. 21. Ant. Cuc. l. 5. inſtit. major. t. 11. n. 138. And. Gail. l. 2. pract. obſer. c. 141. n. 8. Lancelot. inſtit. juris can. l. 2. t. Quæ matr. impedire poſſunt, §. Item frigiditas, v. Vinculo, Manuel in q. regul. in 1. t. q. 13. ar. 1. Supplem. Gabr. 4. d. 34. q. un. ar. ult. in fine.*

6 Quod verum habet, quamvis in ætate decrepita conſtitutus tunc contrahat. Quia id matrim. eſſe validum, quando præ ætate non eſt potentia coeundi deſtitutus, diximus diſp.92. n. 20. juncto n.24. Sic *Martin. Laudenſis, Covar. Rojas, Ant. Cuc. Manuel n. præced. allegati*, quamvis dubius in hanc partem magis inclinat *Ant. Gom. l. 9. Tauri 57.*

7 Circa tertium quæſitum nempe, an ea legitimatio vim habeat excludendi ſubſtituti? Verbi gratia, parens prolis ſic legitimatæ inſtitutus eſt in certa hæreditate, ea tamen lege, ut ſi abſque prole legitima deceſſerit, ſuccedat Titius: dubitatur ergo an verificetur eam conditionem deficere exiſtente prole per id matrim. legitimata, ac proinde ea ſuccedat excluſo Titio ſubſtituto? Et duplex poteſt eſſe caſus. Prior eſt, ubi nulla alia defraudandi ſubſtituti præſumptio concurrit, quam eo mortis articulo matrim. iniri. Poſterior eſt, quando vere conſtat animo defraudandi ſubſtituti matrimon. initum eſſe. Et quidem in priori caſu, placet aliquibus eam legitimationem carere vi excludendi ſubſtituti: Quod vehemens ſit præſumptio initi matrim. animo doloſo excludendi ſubſtituti. Ubicumque enim actus, per quem alius excluditur, celebratur in mortis articulo, præſumitur in ejus fraudem geſtus, *l. Filiæ meæ, ff. ſolut. matrim.* Sic tenet *Angel. l. Nuper, n. 3. C. de nat. liberis. Curtius Junior conſ. 26. n. 9. Berojus c. In præſentia, nu. 206. verſ. Similiter voluit, de probat. Ruinus conſ. 46. n. 8. vol. 2. & conſil. 211. n. 7. & duplici ſeq. vol. 1. & conſ. 163. numer. 7. vol. 3. Alciatus in ſuis reſponſ. l. 9. reſponſ. 140. num. 6. & reſponſ. 187. numer. 3. eod. l. Barb. conſ. 18. n. 28. vol. 2. & conſ. 68. n. ult. v. Præterea adduco, eod. vol. Burgos de Paz conſ. 6. n. 11. Mantuan. conſ. 38. n. 14. l. 2. Zephalus conſ. 5. n. 30. & ſeqq. conſ. 239. n. 17. l. 2.* addens in hoc ultimo loco niſi matrimonii promiſſio præceſſiſſet: tunc enim ceſſat fraudis ſuſpicio. *Menoch. conſ. 226. n. 87. vol. 3.* dicens hanc eſſe magis receptam ſent. & *de præſumpt. l. 6. præſumpt. 8. n. 3.*

8 At communiſſima, atque multo verior ſententia habet, nulla alia fraudis ſuſpicione concurrenti prolem ſic legitimatam ſuccedere excluſo ſubſtituto. Quod non ſit verum fraudem præſumi, ex eo ſolum quod in articulo mortis matrim. initum ſit ab habente ſubſtitutum. Tunc enim in dubio poſſet fraus præſumi, quando actus in articulo mortis peractus non eſſet morienti utilis, atque alteri noxius eſſet. Et ſic intelligitur, *l. Filiæ meæ, ff. ſolut. matr.* cui oppoſita ſententia innititur. At quando morienti, & filio ejus utilis eſt, ut in præſenti contingit, ceſſat fraudis præſumptio. Et confirmatur, nam legitimatio conſurgens ex matrimonio in articulo mortis inito eſt bonum prolis, cui plurima commoda inde pullulant. Non ergo id in fraudem ſubſtituti initum præſumitur. Potius enim præſumitur patrem præcipue liberis conſuluiſſe: quamvis ex conſequenti ſubſtitutus defraudetur. Attendendum autem eſt, quod principaliter fit, *l. Si quis nec cauſam, ff. ſi certum petatur, leg. 1. ff. de author. tutor.* Adde, in mortis articulo minorem fraudis ſuſpicionem eſſe debere. Cum agatur de damno ſalutis æternæ irreparabili, cujus immemor non præſumitur morti proximus, *l. ult. C. ad l. Juliam repetundarum.* Tandem, quia in dubio in actibus jure approbatis dolus præſumi nequit, niſi perſpicua doli indicia præcedant, *l. Dolum, C. de dolo.* Et ideo hujus ſententiæ ſunt *Baldus conſ. 319. n. 1. vol. 4. Barth. Socinus l. Sed eſt quæſitum, n. 2. ff. de liber. & poſth. & ibi Ang. n. 2. Jaſon n. 11. Alex. l. Si quis poſthumos, in princ. n. 4. fin. ff. eod. t. Pariſius conſ. 13. n. 68. & conſ. 14. n. 35. vol. 1. Ripa l. Ex facto, §. Si quis rogatus, nu. 48. ff. ad S. C. Trebel. Felinus c. in præſentia, nu. 36. de probat. Ruinus* ſibi contrarius *conſ. 78. n. 8. & quadruplici ſequen. vol. 3. Ant. de Roſellis tract. de legitimat. l. 1. t. de cauſa materiali legim. n. 41.* (habetur t.8. tractatuum, p.2.) *Covar. 4. decret. 2. p. c. 8. §. 2. n. 10. Suar. l. 1. legum fori, t. 11. De los pleytos, l. 9. n. 10. Celſus conſ. 73. nu 11. Greg. Lop. l. 1. v. Secaſa t. 13. p. 4. Ant. Gomez l. 9. Tauri n. 59. Ant. Gabr. t. 3. commun. l. 6. t. de legitimatione, concl. 1. n. 54. Minchaca in controverſiis uſu frequentib. l. 3. c. 41. n. 1. Molina l. 2. de primog. c. 5. num. 26. Hier. Gabr. conſ. 24. num. 3. vol. 1. Menochius de præſumpt. l. 4. præſumpt. 81. n. 29. & l. 5. præſumpt. 5. n. 16. Burſatus conſ. 40. nu. 70. vol. 1. Mantica de conject. ult. vol. 1. t. 13. n. 2. & 5. Jo. Garcia de nobilitate, gl. 21. num. 59. & tr. de hypotheca poſt contractum, n. 14. Spino Speculo teſtam. gl. 15. principali, nu. 105. Enriq. l. 12. de matr. 7. nu. 3.* & videtur tenere *Flami-nius l. 11. de reſignat. beneſic. q. 1. n. 12.* ait enim non legitimari prolem in præjudicium ſubſtituti, cum limitatione *Pariſii, d. n. 68.* quæ eſt quando alias conſtat de fraude. Idem ſuſtinent *Sarmiento, & alii*, quos nu. 10. referam, dicentes valere legitimationem hanc in fraudem ſubſtituti, quamvis de fraude conſtaret.

In poſteriori autem caſu, nempe, quando conſtat de animo 9 matrimonii tunc initi ad defraudandum ſubſtitutum eſt gravior difficultas, ut ſi is, qui tunc matrimonium iniit, ſuum animum expreſſit, vel minatus ſit ſubſtituto, fore ut matrim. illud ad ejus excluſionem contrahat. Et quidem communis fere omnium ſententia eſt, tunc minime excludi ſubſtitutum, quamvis matrimonium valeat, ac prolem legitimam reddat. Probatur primo, quia licet religionis profeſſio efficiat deficere conditionem, ſi abſque liberis deceſſerit: tunc enim ſic inſtitutus non cenſetur abſque liberis decedere, ſed ſuccedet monaſterium, excluſo ſubſtituto in caſu, quo liberi deficerent, *c. in præſentia de probat.* At univerſi ſcribentes hoc ibi intelligunt niſi in ſubſtituti fraudem profeſſio in articulo mortis facta ſit. Ergo idem dicendum eſt in matr. carnali fraudulenter inito. Valet enim argumentum a matrimonio ſpirituali ad carnale, ut late *Everardus in ſuis topicis, loco a matrimonio ſpirituali.* Secundo, ex *l. Filiæ meæ emancipatæ, 60. ff. ſolut. matrim.* ubi deciditur, quando pater conſtituit dotem filiæ ægræ, ſub ea lege, ut filia decedente in eo matrimon. ſibi reddatur, non prodeſſe marito divortium alias jure permiſſum, ſi fraude celebratum ſit, ne filia in eo matrim. decederet: ac proinde non reſtitueretur dos patri. Tertio ex *c. 2. de renunciatione in 6.* ubi aſſeritur renuntiationem beneficii, quam quis libere, & licite facere poterat, non afferre ullum præjudicium expectanti, quando in ejus fraudem facta fuit. Quarto quia ex *l. Si cum mulier, ff. rerum amotarum, & l. Sulpitius, ff. de donat. inter vir. & uxor. & l. Qui pœna, §. 1. de manumiſ. & l. Cum ratio, §. Fraudis autem, ff. de jure fiſci*, & ex aliis plurimis textibus probatur nimium fraudibus indulgendum, viamque dolis ſternendam ſi omnia, quæ quis facere poteſt, illico poſſet in alterius fraudem convertere. Et ſic corruerent omnia jura diſponentia locum fraudibus minime dandum eſſe, *l. in fundo, cum ſimilibus, ff. de rei vendic.* Quinto, quia *l. 2. ff. de aqua pluvia arcenda, ff. Idem Labeo, el 2.* deciditur advertentem flumen non teneri de dolo, quamvis vicino noceat: & ſubditur: *Si modo non hoc animo fecerit, ut tibi noceat: ſed ne ſibi noceat*: Ergo quando animo nocendi avertit, tenetur de dolo. Quod fatetur *ibi gl. v. Noceat.* Tandem quia *Valer. Maximus l. 7. c. 7.* refert Septitiam matrem Thracalorum Ariminenſium iratam filiis nupſiſſe in eorum contumeliam Publio Seni, ac filios in teſtamento præteriiſſe: atque aditum Auguſtum improbaſſe nuptias, & teſtamentum matris: atque adeo bona filiis reſtituiſſe. Et ita ultra omnes DD. n.7. allegatos, qui hujus ſent. ſunt, ſuſtinent hanc ſent. *Decius conſ. 399. fin. vol. 3. & c. In preſentia, in nova edit. n. 206. verſ. Quid autem, ſi quis non bono zelo, de prob. Præp. c. Tantæ, n. 7. fin. qui filii ſint legit. Pariſius conſ. 13. n. 78. vol. 1. Ruinus conſ. 78. n. 8. vol. 3. Bart. Socin. Angel. Alexan. Ant. de Roſellis, Suarez, Greg. Lop. Ant. Gomez n. 58. Ant. Gabriel, Burſatus n. 72. Mantica, n. 1. & 5. Flamin. ubi eos n. præc. retuli. Molina l. 2. de primog. c. 5. n. 27.* & latius *in annot. quas ponit poſt ult. libri finem, n. 8. Duennas reg. 350. limitat. 1. Menochius de præſumpt. l. 4. præſumpt. 81. fin. & preſumpt. 83. n. 78. Franciſc. Marc. deciſ. Parlamenti Delphin. 684. numer. 3. p. 2. Meres de majorat. in 1. addit. p. 2. q. 1. num. 21. Matienzo l. 5. recop. t. 10. l. 10. gl. 3. num. 4.*

Quamvis autem prædicta ſententia ſit valde probabilis, mihi 10 potius placet oppoſita ſententia, ut non obſtante eo animo defraudandi ſubſtituti, ſuccedat proles per id matr. legitima reddita, excluſo ſubſtituto. Ducor, quod non vere dicatur ſubſtitutum fraudare, qui jure ſuo utitur, actumque mero jure permiſſum facit. Non enim injuriam irrogat utens jure ſuo *l. Nemo damnum, ff. de regulis juris.* Et quamvis debitor legatum, quod ipſo jure relictum eſt, & ſibi acquiſitum repudiet, ut creditoribus fraudi ſit, id non conſideratur nec fraudi eis fuiſſe judicandus eſt: eo quod jure ſuo utatur *l. Qui autem, §. 1. ff. de his quæ in fraudem credit.* Item etſi libertus legatum ſibi relictum, & mero jure acquiſitum repudiet, id non eſt attendendum, nec patronus, in cujus fraudem id effectum videri poteſt, conqueri valet, nec permittendus eſt impedire. Quod libertus utatur jure ſuo, *§. Utrum, ff. ſi quid in fraudem patron.* Deinde, quia cum jure attento id matrim. valeat, effectus ipſius minime ſunt reſtringendi. Semper enim attenditur id quod principaliter agitur, ut ea, quæ ex illo ſequuntur, debeant ſuum valorem obtinere, *l Si quis nec cauſam, ff. ſi certum petatur.* Præterea, ſi ſanitatis tempore ille inſtitutus concubinam duceret eo animo, ut prole ſuſcepta per id matrimonium excluderetur ſubſtitutus, nemo dubitaret eum excludi: cum tamen matrimon. iniretur in fraudem ſubſtituti; & idem prorſus detrimentum ſequatur ſubſtituto, ſive nova proles per matr. ſuſcipiatur, ſive antea habita reddatur per illum legitima: atque in utroque eventu idem ſit defraudandi animus. Præterea, quia filius per id matrim. quamtumvis in articulo mortis mala fide initum, vere redditur legitimus: ut omnes fatentur. Vere ergo facit deficere conditionem, ſi ſine liberis legitimis moriatur: ac proinde ſubſtitutum excludet. Nec mala patris ineuntis matrim. intentio debet filio nocere: cum ipſe nil a patre conſequatur, ſed ex beneficio inſtituentis patrem hæreditatem illam obtinet,

qui

qui noluit prolem legitimam hæreditate privari. Præterea, quia quando actus a parte rei non eſt contra juſtitiam, nec reſtituendi obligationem inducit, nil refert bono an malo animo fiat ad reſtituendi obligationem producendam. Ut communis fere omnium ſent. ſuſtinet, ut poteſt videri in *Nav. l.3. de reſtit. c.5. in nova edit. dub.1. n.5. & ſeq.* Et ratio eſt, quod obligatio reſtituendi oriatur ex eo, quod quiſpiam ſit efficax, & vera damni cauſa. At mala intentio non efficit ut actus ſit damni cauſa, nec efficaciam ipſi addit, quoties actus ſecluſa intentione non eſt cauſa illius damni. Cum enim intentio maneat in intendentis voluntate, nil poteſt operari in alio. Si ergo hoc matimonium in articulo mortis initum, atque prava intentio nocendi ſubſtituto, non eſt contra juſtitiam, nec cauſa damni, ac proinde non obligat ad reſtituendum ſubſtituto hæreditatem, nec ratione malæ intentionis, qua iniretur, ad id obligabit. Tandem, quia quamvis ſpurii ſint hæreditatis paternæ incapaces, fatentur DD. licitum eſſe eam fidei amici committere, ea intentione, ut ille det ſpurio, dummodo ea intentio non deducatur in pactum: licet fraus quædam legis ſit. Ergo ſimiliter in noſtro caſu ea mala patris intentio defraudandi ſubſtituti non nocebit proli, ut ob id excludenda ſit ab hæreditate: eo vel maxime, quod in hoc caſu nulla legi fraus fiat: ſed attenta lege proles hæc ſucceſſura erat, ut vere legitima, niſi mala matris intentio obſtet. Et confirmatur, quia ſi pater ille dum ſolutus eſſet, habuiſſet eum filium ex concubina ſoluta: & poſtea ex alio matrim. genuiſſet filios legitimos, ac mortua uxore jam in extremis conſtitutus duxiſſet concubinam, ut ſic filius ille legitimaretur, & hoc in fraudem aliorum filiorum, ut cum illis ſuccederet in bonis paternis, duriſſimum eſſet ob ſiniſtram patris intentionem excludere filium hunc ab hæreditate. Cum beneficio legis tanquam vere legitimus in ea ſuccedat. Ergo idem in noſtro caſu dicendum eſt. Et ideo hanc ſententiam amplectuntur *Bald. rubr. C. de privilegio dotis, num.2. Sarmiento l.1. ſelect. c.6. n.8. & n.ult. in fin. & l.4. circa l.Sed eſt quæſitum, ff. de liberis, & poſth. nu.3. Minchaca in controv. uſu freq. l.3. c.4. n.5. Jo. Garcia de nobilitate, gl.21. n. 59. & tr. de hypotheca poſt contractum, n.14. Spino Speculo teſtam. gl.15. principali, n.106. Molin. n.1. de juſt. tr.2. diſp. 172. ad finem.*

11 Ad argumenta n.9. propoſita reſp. Ad primum dic diſparem eſſe rationem. Quoniam profeſſio monachi efficit, ut deficiat conditio, ſi abſque liberis ille deceſſerit, magis ex juris poteſtate volentis monaſterium haberi loco filii, favore profeſſionis: quam ex teſtatoris voluntate, & ex vi verborum: unde mala fide ſuſcepta ad excludendum ſubſtitutum, non operabitur eum effectum. Conditio enim quæ a lege præſumitur circa liberos, intelligitur de juſte ſuſceptis. At proles per matrimonium legitimata excludit ſubſtitutum ex ipſamet teſtatoris voluntate: unde non mirum ſi parva intentio patris non redundet in damnum ipſius prolis, quæ non a patre, ſed ab ipſo priori teſtatore vocata eſt ad eam hæreditatem. Sic reſpondet *Jo. Garcia de nobilitate, gl.19. n.60.* Ad 2. dic textum in *ea. l.Filiæ meæ*, non ſoli defraudandi animo inniti, ſed tacitæ patris voluntati ſub ea conditione dotantis filiam. Mens enim patris præſumpta fuit in ſolo mortis caſu ſibi proſpicere: nec præſumitur ipſum favere voluiſſe divortio in ipſius fraudem celebrato. Quod non obſcure ſignificat *gl. ibi v.Redderet*, ſubjiciens illius deciſionis rationem, his verbis: *Cum in caſu mortis tantum ſibi proſpexerit pater.* Quod in noſtro caſu deficit: nam teſtator inſtituens parentem, atque alium ſubſtituens, ſi deficeret proles legitima, noluit ſubſtituto contra prolem legitimam favere, imo illi prætulit prolem legitimam, atque adeo fraus, & mala patris intentio proli nocere non debet. Ad tertium dic eam eſſe ſpecialem illius textus deciſionem, qui expectativis a Pontifice conceſſis voluit favere. Quare ea deciſio ad alios caſus trahenda non eſt. Ad quartum dic nullum eſſe abſurdum, quando fraudes injuſtæ non ſunt, ac proinde omni injuria vacant. quippæ eæ non merentur verarum fraudum nomen: cum re ſua neminem privent: ſed jure ſuo quiſque utatur, quamvis in charitatis legem delinquat ob malam intentionem. Ad quintum dic cum *Nav. l.3. de reſtit. c.5. in nova edit. dub.1. nu.12.* ubi & alios refert, illam legem non ob malum animum id decreviſſe. Nam nec ſufficiens is erat, nec judici cognitus eſſe poterat. Quare id decrevit ob actionem externam injurioſam, nam quando fit ob nullum finem utilem, & neceſſarium, lex præſumit doloſe, & inique fieri: atque ideo dat actionem de dolo. Etenim ſi venas reſcindat ob cauſam ſibi utilem, liquet id jure facere, ac nulli injuriam eum irrogare: utpote qui jus ſibi conſulendi habet. At ſi nulla neceſſitate adducatur, ad illud faciendum, perſpicuum omnino eſt, non poſſe illum id jure facere: quin potius alterum abſque ulla cauſa, & non utens jure ſuo lædit, & ideo malus animus præſumitur, & datur contra illum actio de dolo. Attendit ergo *Ulpianus* non animum lædendi dumtaxat, ſed etiam attendit actionem externam doloſe ac ſine jure intentam. Ad ultimum dic ex eo geſto Aug. nil probari: conſtat enim erraſſe diſſolvendo ob id matrimonium.

DISPUTATIO CVI.

An hermaphroditus poſſit matrimon. inire? & juxta quem ſexum?

SUMMARIUM.

Cujus ſexus dijudicandus ſit hermaphroditus: & quando detur illi ſexus electio, & an juraturus ſit ſe alio non uſurum? n.1.
Cujus ſit dignoſcere ſexum prævalentem, & quid in dubio? 2.
Proponuntur ſuadentia eum eſſe matrimonii incapacem, quando in eo uterque ſexus æqualis eſt? 3.
Debet contrahere juxta ſexum in eo prævalentem: & quid quando non conſtat uter prævaleat? 4.
An valeat matrim. initum juxta ſexum, qui in eo non prævalet? 5.
Quando uterque ſexus æqualis eſt, juxta quem contrahere poſſit? 6.
An parocho liceat intereſſe matrimonio tali, antequam coram Ordinario eligat ſexum? 7.
An, ſemel electo ſexu, & juxta illum inito matrimonio, ſi viduus effectus juxta diverſum ineat, peccet, & teneat factum? 8.
Quando conſultis medicis res eſt dubia, uter ſexus prævaleat, an poſſit juxta utrumque inire matrimonium? 9.
Satisfit argumentis. Et traditur ratio cur hermaphroditus in quo uterque ſexus æqualis eſt, ſit incapax ordinis, & profeſſionis, 10.

PRæmittendum eſt, hermaphroditum dijudicandum virum, 1
vel feminam, juxta ſexum in ipſo prævalentem, ita ut ſi virilis prævaleat, vir judicandus ſit: quod ſi femineus, femina, ut habetur *l.Quæritur 10. ff. de ſtatu hominum*: ibi. *Quæritur hermaphroditum cui comparemus? & magis puto ejus ſexus exiſtimandum, qui in eo prævalet.* Quando autem neuter ſexus prævalet, ſed uterque eſt æqualis, tunc æque vir ac femina judicandus eſt. Cum nulla ratio urgeat, cur potius hujus ſexus, quam illius cenſeatur, Quare poteſt tunc eligere ſexum, quo uti malit, ut docent *Hoſt. ſum. t. de teſtib. §.Quis poſſit eſſe teſtis, n.2. v.Quid ſi utriuſque, Bald. d. l.Quæritur, in additionibus, n.un. & ibi Alber. n.5. Sylv. v.Hermaphroditus, fin. & ibi Tabiena fin. Arm. fin. Nav. l.1. conſ. in 1.edit. t. de ætate, & qual. conſ.8. n.3. in 2. l.3. t. De regularib. conſ.47. n.3. Majol. l.3. de irreg. c.25. n.16. Enriq. l.14. de irreg. c.8. n.6. fin.* Debet autem juramento ſe aſtringere, fore ut in poſterum minime altero ſexu præter ſemel electum utatur, argumento ex *c.Presbytero, 16. q.1. & c.Diverſis, de cler. conjug. & l.Si plures, ff. de pactis.* Non indecens valde eſſet: ut modo uno, modo altero ſexu uteretur. Sic *Hoſt. ibid.*

Quod ſi roges, quis norit uter ſexus prævaleat: & quid in 2
dubio cenſendum ſit? Dic matronarum peritarum vel medicorum eſſe hujus rei judicium, ut bene docet *Albericus n. præced. alleg.* Atque id ex genitalium inſpectione judicandum eſſe tradit *Tu rec. c.Si teſtes, §.Hermaphroditus, 4. q.3. n.3.* Si autem dubitetur uter ſexus prædominetur, ſtandum eſt ipſius hermaphroditi dicto: juxta communem ſent. Cum nullus valeat id ita ſentire, ac ipſemet: vel judicio medicorum ſtandum eſt. Quod in idem recedi: eo quod medici judicare debent juxta ea, quæ ipſemet de ſe aſſeruerit. Atque hoc bene docet *Navar. nu. præc. d. allegatus, in utroque conſ. n.4.* Quod ſi adhuc res eſt dubia quid faciendum ſit, dicemus n.9.

Et quidem ſi loquamur de hermaphrodito, in quo neuter ſe- 3
xus prævalet, ſed æqualis eſt: videtur is matrimonii incapax. Quod omnes aſſerunt in hoc eventu eum eſſe ordinis incapacem, inſtar feminæ, ut poteſt videri apud *Enriq. l.14. de irregul. c.8. nu.6. & Navar. l.1. conſil. in priori editione tit. de ætate, & qualit. conſ.8. n.3. in poſteriori l.3. tit. de irregularibus conſ.47. n.3.* ait ſimiliter eum eſſe incapacem profitendi. Et utriuſque rationem addit, quod æque ſit femina, ac vir: ac proinde quamvis ex ea parte, qua vir eſt, poſſet videri capax ordinis: at quia eſt incapax ea parte, qua eſt femina, abſolute incapax appellari debet. Similiter ſi profiteatur in virorum monaſterio; non tenet profeſſio, quia æque eſt femina ac vir. Si autem in monialium monaſterio, non tenet, quia æque eſt vir ac femina. At eadem ratio militat in matrimonio. Nam ſi tanquam femina viro nubat, obſtat valori ejus matrimonii eum eſſe æque virum. Si autem tanquam vir feminam ducat, obſtabit eum eſſe æque feminam. Ergo qua ratione ob hanc ſexus paritatem eſt incapax ordinis, & profeſſionis, erit quoque matrim. incapax. Cum idem prorſus abſurdum ſequatur.

I tamen concluſio ſit. Hermaphroditus, in quo alter ſexus 4
prævalet, poteſt matr. inire juxta ſexum illum prævalentem: atque ita ſi femineus prævaleat, viro nubere poteſt, ſi autem virilis, feminam ducere valet. Conſtat. quia ſexus prævalentis eſſe judicatur. Ut diximus n.1. Sic docet *gl. c. Si teſtes, v.Ad teſtimonium, 4. p.3. Angel. v.Hermaphroditus, n.ult. & ibi Sylv. fin. Tabien. fin. Armil. fin.* Qod ſi dubium ſit, uter ſexus prævaleat, dicemus n.9.

Hinc deducitur, fore irritum matrim. juxta alium ſexum 5
contractum, & hoc jure ipſo naturæ. Ut ſi prævalente ſexu virili, copuletur matrimonio viri, inſtar feminæ: vel ſi prævalente femineo, feminæ, inſtar viri. Quia inter perſonas ejuſdem ſexus initum eſt: prævalente enim femineo, reputatur femina, & tamen feminam ducit, ac ſi vir eſſet: & ſi prævaleat virilis, reputatur vir, & tamen inſtar feminæ nubit viro.

II. Concluſio. Quando uterque ſexus æqualis eſt, in optio- 6
ne ejus eſt, juxta alterutrum ſexum matrimonio jungi. Quare

ſi virili deſervire eligat, ducet feminam: quod ſi femineo nubet viro. Conſtat ex dictis n.1. ubi probavimus, in hoc eventu dari hermaphrodito electionem ſexus. Atque ita in propriis matrimonii terminis tradunt *Sylv. Tabiena, Armill. n.4. relati, Majolus n.1. allegatus.*

7 Parochus autem non debet intereſſe tali matrimonio, donec hermaphroditus coram judice Eccleſiaſtico proteſtetur, quo ſexu uti velit. Conſtat ex dictis n.1. ubi probavimus ob hoc eſſe exigendum ſub jurejurando, quo ſexu uti velit, & ſe alio ſexu præter ſemel electum non uſurum. Præterea, quia parocho conſtare nequit, uter ſexus prævaleat, & an ſit æqualis. Quare conſulendus eſt prius judex Eccleſiaſticus, cujus eſt id diſcutere: ut conſtet, qualiter matrimonio copulandus ſit. Sic *Majolus n.1. allegatus.*

8 Hinc deducitur, culpæ mortalis reum eſſe hermaphroditum, in quo uterque ſexus par eſt, ſi ſemel electo ſexu, & juxta illum matrimon. inito, viduus effectus juxta alterum ſexum matrimonio copuletur. Ut ſi prius inſtar viri duxerit feminam: poſterius autem inſtar feminæ nupſerit viro, vel contra. Tum, quia ſi ſexus electionem juravit, reus eſt perjurii. Tum etiam, quia eſto non juravit, delictum admittit, & in re quidem graviſſima. Quare iis nuptiis, tanquam interdictis, parochum debere negare ſuam præſentiam, docet *Majolus nu.1. allegatus.* Exiſtimo autem fore validum id matrim. Quia jure naturæ non irritatur. Cum hermaphroditus ille æque vir, & femina ſit: nec ejus electio id, quod natura ſibi indidit, auferre valuit, ſed ſolum licitum uſum. Jus etiam Pontificium non invenitur, quod id matrim. irritum reddat.

9 Ultima concluſio. Quando conſultis medicis, res in æquilibrio eſſet, nec judicari poſſet, uter ſexus prævaleat, cenſendum eſt, ſexum eſſe æqualem. Quod æque rationes ſint pro utroque ſexu: atque ita de hujus matrimonio dicendum eſt juxta dicta triplici n. præc. quando ſexus eſt æqualis.

10 Ad arg. nu.3. propoſitum reſp. diſparem valde eſſe rationem. Quod cum maxime dedeceat feminam ad ordines promoveri, jure optimo credendum eſt ita id ſacramentum a Chriſto Domino inſtitutum eſſe, ut illius incapax ſit, ſexum femineum æque, ac virilem participans. Cum æque vir ac femina ſit. Et ſimiliter cum indecentiſſimum ſit, atque ad luxuriam valde excitans, ſi quæ vere femina eſt, profiteretur in virorum monaſterio, vel qui vere vir, apud moniales: & is hermaphroditus utriuſque ſexus vere ſit, merito cenſendum eſt Eccleſiam, irritantem profeſſionem apud perſonas diverſi ſexus, irritaſſe quoque ejus perſonæ profeſſionem, quæ utriuſque ſexus vere, & æque particeps eſt. Quam rationem hujus irritationis reddit *Navar. n.3. allegatus.* At matrimonii & natura, & decentia contenta ſunt ſola vacandi copulæ conjugali poteſtate: quare cum id detur in hujuſmodi hermaphrodito, non eſt cur nequeat valide juxta alterutrum ſexum matrimonio copulari.

DISPUTATIO CVII.

Utrum ad declarandum matrim. irritum ratione impotentiæ ſtatim conſtantis, deſideretur triennium experientiæ, & aliqua alia probatio?

SUMMARIUM.

Judex debet cavere, ut probationis impotentiæ potius ſuperabundent, n.1.
Triplicia poſſunt eſſe impotentiæ ſigna, 2.
Quando ſigna ſunt omnium clara, nulla temporis mora expectatur ad diſſolvendum matrimon. nec juramenta conjugum, vel propinquorum, ſed medicorum teſtantium eam impotentiam, 3.
An ubi ſigna ſunt tantum veriſimiliter evidentia, exigantur triennium, ac juramenta medicorum, vel matronarum, & propinquorum: & his diſcordantibus quid faciendum, 4.
An ſit ſignum omnino evidens, virilia, aut teſticulos deeſſe, 5.
Quid, ſi virilia ſint arida 6.
Quid, ſi mulier ſit arcta, 7.
Quid, ſi conjux per ſententiam ſit ab alio matrimonio ſeparatus, 8.
An ubi impotentia eſt ex maleficio, deſideretur ſemper tiennium, neganda judici facultate illius breviandi, 9.
An ultra triennium experientiæ ſit aliud tempus expectandum in maleficio, indicta conjugi pœnitentia, 10.

1 HActenus declaravimus quando matim. ratione impotentiæ irritum ſit: jam ad ultimam hujus impedimenti partem accedentes, diſputaturi ſumus, qualiter impotentia hæc conſtare debeat, ut declaretur irritum ratione illius matrimonium. Et primo quidem in aliquibus diſputationibus diſſeremus de neceſſitate expectandi triennii experientiæ, & de modo illius computandi, atque aliis probationibus ad hoc neceſſariis: deinde vero de qualitatibus matronarum vel medicorum, quibus inſpectio conjugum committenda eſt. Petit ergo diſputatio præſens expoſitionem neceſſitatis expectandi triennii experientiæ copulæ, alteriuſve probationis adhibendæ, quando impotentia conjugis ſtatim conſtat. Et primo præmittere oportet, ſemper judicem eo ſpectare debere, ut potius probationes impotentiæ ſuperfluas, quam in aliquo diminutas exigat: & ut omnem cautelam, quæ poteſt adhiberi per omnes probationis modos, adhibeat. Quod quæſtio de matrimonii diſſolutione ſit de re graviſſima, & in qua de maximo animæ periculo agitur, vel diſſolvendo matrim. validum, vel approbando irritum. Item quia in aliis cauſis oportet judicantem acta rimari, *c.Judicantem 30. q.5.* ergo fortius in hoc caſu, in quo majus periculum vertitur. Et ita docent *gl. c.fin. in fin. de frig. & malef. & ibi Alex. de Nevo, n.15. Inn. cap.1. n.2. verſ.Et nota, eod. t. & ibi Hoſt. n.2. Jo.And. n.9. Ant. num. pen. fin. Abb. n.5. in fin. Card n.2. oppoſ. 1. fin. Anch. n.11. Alex. de Nevo n.9. Prepoſ. n.7. fin. Idem Hoſt. ſum. eod. tit. §.Qualiter, & quando, n.13. & 14. fin. & c. Fraternitatis, n.1. eod. t. & ibi Jo.And. n.3. Ant. n.18. Anch. n.3. notab.3. Præp. n.1. notab.1. Alex. de Nevo in princ. n.4. Jo. de Fiburgo in ſum. confeſſorum, l.4. t.16. q.16. Brunel. de ſponſ. concl. 28. n.2. & limit.1. n.16. fin. Maſc. de prob. concl.816. n.18. Fulv. Pacianus de prob. l.2. c.2. n.28. & ibi Calletus in additionib. lit.I.* Quare in tanti ponderis negotio, nulla judicis in veritate indaganda, ac probationibus exquirendis ſuperfluitas, poteſt jure optimo reprehendi, ut bene tradunt *Jo. And. d. c.Fraternitatis, n.3. & ibi Ant. n.18. Anch. n.3. notab.3. Præpoſ. n.1. notab.1. Alex. de Nevo c.fin. n.15. de frig.*

Secundo eſt præmittendum, triplicia eſſe impotentiæ ſi- 2
gna, quædam neceſſario, & evidenter concludentia impotentiam, alia veriſimiliter evidentia impotentiæ ſigna, & alia dubia, ac præſumptive probantia. Quæ omnia a nu.5. explicabimus. Hac diſtinctione utuntur *Ant. c. Laudabilem, n.14. de frigid. & malef. & ibi Præp. n.ult. Alex. de Nevo n.16. & 17.*

His præmiſſis, ſit prima concluſio. Quando ſigna neceſſa- 3
rio, & evidenter impotentiam concludunt, ſive viri, ſive feminæ, nulla temporis mora expectata, eſt diſſolvendum matr. Hæc ab omnibus admittitur. Quia *c. Laudabilem, de frig. & malef.* ubi triennium experientiæ præſcribitur ad concludendam frigiditatem, excipitur niſi prius ea probari poſſit. At nulla apertior probatio reperiri poteſt. Secundo, quia conſtante impotentia, ac ſubinde matrimonii nullitate, contra jus naturæ eſſet, copulam permittere. Tandem, quia cum extet apertiſſima probatio, fruſtra expectaretur eventus triennii, cujus nullus induceretur effectus, *c. Cum contingat, de offic. de leg.* Nec tunc juramentum ſeptimæ manus propinquorum deſideratur, ut bene docent *gl. c. Fraternitatis, ſtatim in prin. v.Matronas, de frig. & malef. & ibi Abb. nu.11. Alex. de Nevo ibi, in princ. n.8.* qui duo bene advertunt, nec juramentum ipſorum conjugum eſſe neceſſarium. Cum ad oculum pateat impotentia. Quare ſufficiet juramentum matronarum vel medicorum ea ſigna clara per inſpectionem teſtantium. Et quamvis *ea gloſ.* videatur ſentire, nunquam in arctitudinis feminæ impedimento deſiderari id juramentum ſeptimæ manus, ſed ſolum in frigiditate viri, at id non ſentit, nec eſt verum (ut dicemus nu.7.) ſed loquitur, quando eſt arctitudo evidenter concludens impotentiam. Et ita eum intelligunt *Abb. & Alex. de Nevo ibid.*

II. Concluſio. Quando ſigna non ſunt omnino certa, & evi- 4
dentia, ſed veriſimiliter evidentia impotentiæ, non deſideratur triennium experientiæ: at exigitur juramentum conjugum aſſerentium ſe non poſſe coire, & ſeptimæ manus propinquorum jurantium ſe credere eos verum fateri (de quo juramento ſeptimæ manus late dicemus diſp. ſeq.) Quia cum impedimentum fere evidenter conſtet, non eſt opus triennium expectare, quod in caſu dubii ſolum conceditur: cum autem non omnino evidenter conſtet, amplior probatio petitur; quam ubi prorſus evidens eſt, & ideo petitur id juramentum conjugum, ac ſeptimæ manus. Et ita docent *Ant. c.Laudabilem, nu.14. de frigido, & malef. & ibi Alex. de Nevo, n.17.* & conſtabit ex dicendis nu.6. & 7. ubi referemus Auctores ſentientes in impedimentis, quæ non omnino evidentia ſunt, peti juramentum hoc, non tamen triennium. Quare tunc inſpiciendus eſt conjux impotens per medicos, aut matronas; & ſi judicarint eum omnino impotentem per ſigna veriſimiliter evidentia, ac concordaverint cum medicorum dicto juramenta conjugum, ac ſeptimæ manus propinquorum, diſſolvetur ſtatim matrim. nulla temporis mora expectata: ſi autem teſtimonia hæc diſcordarint, dicendum eſt idem, quod de ſignis dubiis dicemus duplici diſp. ſequenti. Sic *Alex. de Nevo d.c. Laudabilem, n.17. in caſu 2.*

Verſatur autem difficultas in explicandis his ſignis. Eſt ergo 5
ſignum evidens, ut nec triennium nec juramenta propinquorum deſiderentur, quando virilia omnino amputata ſunt. Quod nemo negat. Item ſi vir careat utroque teſticulo, ut docent *D. Th. 4. d.34. in fin. in expoſ. lit. Ant. c.Laudabilem, n.14. de frig. & malef. & ibi Alex. de Nevo n.15. caſu 1.* Et quamvis hoc olim non carebat difficultate: eo quod multi cenſebant matrim. eunuchorum carentium utroque teſticulo eſſe irritum, (ut retuli diſp.92. n.15. & 16.) at jam poſt motum proprium Sixti V. eſt omnino certum, ut ibidem n.17. dixi.

Præterea eſt ſignum omnino evidens, ita ut nec triennium 6
nec juramenta propinquorum, & conjugum deſiderentur, ſi virilia arida ſint. Quod tunc inutilia videantur: ac perinde eſt virilibus carere, t& ea omnino inutilia eſſe. Et ita docent *Inn. c.1. Laudabilem, n.un. paulo poſt medium, v.Juſtum judicium, de frig. & malef. & ibi Jo. And. n.9. Abb. n.2. Præp. nu.6. v.juſtum judicium. Maſcard. de probat. concl.889. n.4.* At hoc non